


PRAXIS EXERCITIORVM SPIRITVALIVM P. N. S. IGNATII.

AVCTORE

P. Sebaſtiano Izquierdo Alcarazenſe Societatis IESV.



ROMÆ, Typis Ioannis Franciſci Buagni. 1695

SVPERIORVM PERMISSV.



Docente magiſtra. Religionis

MONITA QVÆDAM circa hæc Exercitia.

NOmineExercitiorum Spiritualium complexus eſt S.Ignatius omnem rationem examinandi conſcieutiam, meditandi, contemplandi, orandique mentaliter, & vocaliter, & alias ſpirituales operationes, quibus anlma ſeſe exercet, vt ab omnibus ſuis ſpiritualibus morbis, ideſt, inordinatis affectionibus liberetur, agiliſque ſubinde reddatur, & expedita ad rectà, tutòque currendum in ſuum vltimum finem. Qui conſiſtit in ſeruiendo, honorando, & glorificando Creatorem ſuum, ipſiuſque in omnibus voluntatem adimplendo in præſente vita, & per merita bonorum operum eodem in altera abſque vllo fine fruendo.

Ad hæc omnia conſequenda, quanta ſit excellentia Exercitiorum S.Ignatij, conſtat primò. Quia medium ſunt inſpiratum à Deo homini litterarum rudi ſub ipſum ſuæ conuerſionis initium, quando, dum Manreſæ pœnitentiam ageret, eximijs eum illuſtrationibus ſupernaturalibus in Magiſtrum, & Ducem tot animarum ipſe Deus formare cæpit. Conſtat ſecundò ab experientia. Medijs ſi quidem his exercitijs S.Pater primos ſuos Socios Deo lucratus eſt. Societatem Ieſu fundauit; & toto Terrarum Orbe propagauit. Eiſdemque medijs vbique in-

innumerabiles, mirabileſque conuerſiones, ac mutationes vitæ in omni hominum genere ſunt effectæ, hodieque paſſim efficiuntur. Quin vllus vnquam ſit repertus, quem ijs ſeſe excoluiſſe pœnituerit. Conſtat tertiò ab æſtimatione, quam eorum habebat S. Pater. Qui, cum M. Mionam ſuum olim confeſſarium Pariſijs degentem litteris datis Venetijs 16. Nouembris 1536. ad obeunda illa hortaretur, ſubiungit. *Tum ſi te facti pœnituerit, præterquamquod pœnam à te mihi imponendam nullam recuſo, putato me irriſorem perſonarum ſpiritualium.* Et paucis interiectis. *Semel, & iterum, & tertiò, & quoties valeo, ob Dei obſequium idem ipſum efflagito: ne ad extremùm Diuina Maieſtas requirat ex me, quòd non à te totis meis viribus poſtulauerim. Cùm ſit illud optimum, quod ego in hac vita poſſum cogitare, ſentire, & intelligere, tum vt homo ſibi ipſi proficere, tum vt in alijs multis fructificare, eiſque prodeſſe poſſit.*

Hæc porro Exercitia S. Pater in quatuor hebdomadas diuiſit. In quibus mirà arte, & ordine eum, qui ſe exercet, per quoſdam gradus à principio conuerſionis ad faſtigium vſque perfectionis perducit. Reſpondentque illæ tribus vijs, Purgatiuæ, illuminatiuæ, & Vnitiuæ, per quas totum iter ſpirituale Theologi myſtici partiuntur. Quare in illis integrè peragendis triginta dies expendi ſolent. Verùm, quia paucis id integrum eſt, vniuerſam quatuor illarum

rum hebdomadarum ſubſtantiam ita ad ſpatium vnius hebdomadæ octo dierum reducemus, vt quiſquis ijs seriò ſe tradiderit, ex hac vnà omnem quatuor illarum fructum percipere poſſit.

In vſu horum Exercitiorum duæ perſonæ ſolent interuenire. Vna eſt is, qui Exercitia agit, altera eſt Pater ſpiritualis, ſeu Inſtructor, qui ea ipſi quotidie tradit, ſiue exponit. Vt plurimùmque fit hoc intra cubiculum alicuius Collegij, aut Domus noſtræ Societatis, vbi, qui agit Exercitia per octo dies manet incluſus. Quoniam verò hac ratione pauci illa agere poſſunt, pauci abſolutè agunt illa, & eorum fructum participant. Vtinamque omnes vbique Chriſtiani quotannis ſemel agerent; vti agimus in Societate nos Religioſi. Aliam profectò faciem Mundus haberet. Propterea, vt omnibus viris, & fœminis cuiuſuis ſtatus, & conditionis horum Exercitiorum vſum facilem reddam, omnibus ego trado libellum hunc, qui loco Inſtructoris eis eſſe poſſit. Omnibuſque pariter conſulo, vt eo ducti ſemel quotannis huiuſmodi faciendis Exercitijs ſe dedant; ſi & piè viuere, & ſuam æternam ſalutem obtinere deſiderant. Ad quod præſtandum vnuſquiſque ſequentia documenta obſeruabit.

Primum. Ab omnibus omninò negotijs per octo dies ſeſe expediat, vt in ſuæ animæ ſummo, & vnicè neceſſario negotio totam ſuam

attentionem possit impendere. Deinde in aliquo suæ domus cubiculo ad rem opportuno includatur: ex quo per totos octo dies non exeat, nisi ad res præcisè necessarias: cum nemineque, præterquam cum Deo, commertium vllum habeat. Prætereà quaternas quotidie horas orationi mentali (quæ præcipuum est Exercitium) dare debet, eà videlicet ratione, quam mox præscribemus: cuius materiam præbebit Exercicium vnicuique diei respondens iuxta ordinem quo scripta sunt. Reliquas autem horas diei expendet iuxta sequentem distributionem.

Si surgat è lecto hora 6. matutina, à 6. cum dimidia vsque ad 7: cum dimidia primam horam orationis aget. Inde vsque ad 8. examinabit eam, & leget in aliquo pio libro. Ab 8. vsque ad 9. audiet Missam (si commodè potest) & recitabit Horas minores Officij maioris, vel parui S. Mariæ D. N. aut eius Coronam, vel Rosarium. A 9. vsque ad 10. leget in libro spirituali, & præparabit se ad orationem. A 10. vsque ad 11. aget Orationem. Indeque vsque ad prandium examinabit illam, & faciet examen conscientiæ. Post prandium, & quietem vsque ad 3. recitabit Vesperas, vel Coronam, & leget historiam Vitæ alicuius Sancti, & præparabit se ad orationem. A 3. vsque ad 4. aget orationem. A 4. vsque ad 5. examinabit illam, & recitabit Matutinum cum Laudibus, aut vnam

Co-

Coronam. A 5. vſque ad 6. leget in libro ſpirituali, & præparabit ſe ad orationem. A 6. vſque ad 7. aget orationem. Et inde vſque ad Cœnam recitabit vnam Coronam, & leget in aliquo pio libro. Poſtea, antequam eat cubitum, præparabit ſe ad orationem diei ſequentis, & faciet examen conſcientiæ. Atque hæc, vel paulò diuerſa erit quotidie diſtributio temporis.

Verùm ad experiendum plenè ſummam horum Exercitiorum vim, præter dicta, ſequentia quoque ſunt neceſſaria. 1. Facere illa cum tota mentis applicatione, cum omnibuſque, quas ipſa poſtulant, circumſtantijs. Medicamentum quippe aut non applicatum, aut non cum circunſtantijs præſcriptis à Medico applicatum eam vim, qua cæteroqui pollet, non exerit. 2. Aggredi illa cum totali reſignatione in voluntate Dei, vt ipſe pro beneplacito ſuo in ſua creatura operetur. 3. Inſtructori, ſi adſit, vel alicui Confeſſario eligendo plenè obedire, & omnes animi motus integrè patefacere. 4. Diſtributionem temporis exactè ſeruare. Id enim Exercitijs ritè obeundis apprimè conducit. 5. Cogitationes lætas excutere: omninoque ſe continere intra cubiculum cum eà dumtaxat luce, quæ fuerit neceſſaria, quando eſt legendum: extra illud vero, ſi quando exeundum, totalis ſilentij, ac modeſtiæ curam habere. 6. Caſtigationem aliquam corporis cum approbatione Inſtructoris, vel Confeſſarij adijcere.

DOCVMENTA CIRCA ORATIONEM *mentalem, siue Meditationem.*

ORatio mentalis, siue Meditatio aliud non est, quàm aliquod dictum, vel factum reuocare in memoriam: & circa illud cum intellectu ratiocinari, ponderando substantiam, accidentia, & circumstantias eius, aliudque ex alio concludendo: sicque mouere voluntatem ad sana consilia, probos affectus, & sancta proposita concipienda, in quo stat fructus orationis.

Antequam quis ad orationem accedat, puncta in illà meditanda debet præparare, & secum in memoria ferre. Quod faciet præsertim quando cubitum it; vt sub illorum cogitatione, & horæ, qua surrecturus est, obdormiscens, statim ac mane expergiscitur, faciliùs possit, vti debet, cæteris obiectis exclusis, illa in memoriam reuocare.

Duobus circiter passibus ante locum, vbi est orandum, animum sursum eleuet, consideretque habere se præsentem, ac spectatorem Deum, qui benigne ipsum, & magno salutis ipsius studio velit audire. Expendat, cum rerum omnium Domino, ac de rebus summi momenti, quales sunt spectantes àd suam æternam salutem, se loquuturum. Tum propiùs accedens in genua procumbat, eique summam, quam possit reuerentiam, & adorationem exhibeat. Hæc omnia breuiter expedienda sunt.

Situs

Situs corporis vt plurimum flexis genibus erit. Quòd ſi tamen plus attentionis, aut deuotionis percipiat pronus in terram, vel ſtans, ita faciat. Et ſi aliud non permittat infirmitas corporis, petità à Domino venià, ſedere poterit.

Mox pręmittet Orationem præparatoriam, qua petat à Deo gratiam, vt ad maiorem ipſius gloriam, & animæ ſuæ profectum eam horam impendat.

Deinde ad maiorem attentionem orationis, ad continendamque Phantaſiam, eamque quando aliò diuertitur, colligendam. Compoſitionem loci faciet, hoc eſt, imaginem aliquam corpoream eorum, quæ meditaturus eſt, ſibi effinget, repræſentantem res, perſonas, locum, & alias circumſtantias, prout poſtulauerit materia meditationis.

Tum ſequetur Petitio, qua petet à Deo lumen, & gratiam ad colligendum ex ea oratione fructum ipſius materiæ conſentaneum, qualis erit talis,aut talis virtus, talis ve,aut talis ſenſus amoris, doloris, timoris, &c.

Poſt hæc proponet ſibi vnum ex punctis, quæ pręparata fert, & circa illud ratiocinabitur, ponderans cuncta, quæ ad ipſum pertinent; ſuamque ratiocinationem, atq; ponderationem diriget ad excitandam,ac permouendam voluntatem, vt affectus probos eliciat; qui eſt orationis finis; in quo tota ſubſtantia eius, fructuſq; conſiſtit; non in cogitationum, diſcurſuumue

ſub-

ſubtilitatibus. Debet autem in vnoquoque puncto quieſcere, quin tranſeat ad aliud, quandiu ſpecialis aliqua lux, vel guſtus, vel ſenſus ſpiritualis, quem percipit ex illo, durauerit; aut certè donec ex illo plenè ſibi ſit ſatisfactum. Quemadmodum, cui ſapit alicuius ferculi cibus, donec ex illo ſibi eſt ſatisfactum, non remouet, vt ſumat aliud ferculum.

In fine demum Orationis fit Colloquium: (licet etiam in principio, & in medio, & quoties quis ſe ad illud motum ſenſerit, fieri poſſit.) Quod Colloquium aliud non eſt, quàm familiariter loqui cum Chriſto Domino, cum Deipara, vel cum SS. Trinitate, aut aliqua ex Diuinis Perſonis. Idque varias interim ſibi perſonas aptando; ſeu creaturæ cum Creatore; ſeù ſerui cum Domino; filij cum Patre, diſcipuli cum Magiſtro; ægroti cum Medico, amici cum Amico, mendici cum Diuite colloquentis: atq; ſeu conſilium in dubijs, ſeu auxilium in neceſſitatibus implorantis; & ex parte quidem Dei bonitatem ipſius infinitam, & merita Chriſti; ex ſua verò periculum, in quo verſatur, neceſſitatem, & miſeriam, qua premitur obtendentis. Aduertat autem tùm vel maximè, vtpote loquentem immediatè cum Deo, cum ſingulari reuerentià debere ſe gerere. Huic Colloquio plerumque finem imponet oratio aliqua vocalis: puta, ſi cum Beata Virgine habitum eſt, *Aue Maria, &c.* ſi cum Sanctiſſima Trinitate, *Pater noſter, &c.*

ſi cum

ſi cum Chriſto Domino. *Anima Chriſti, &c.*

Finita Oratione, examinabit, quomodò ea ſibi ſucceſſerit. Si benè, reddet gratias Deo. Si malè, cauſam diſquiret. Quam ſi repererit ſibi culpabilem, vel quia negligenter ſe geſſerit, vel quia documenta tradita non obſeruauerit, cum dolore de facto proponat emendationem in poſterùm. Aduertet item bona deſideria, & propoſita à ſe concepta, memoriæque commendabit, vt ſuo tempore exequatur.

Hic eſt modus orationis mentalis, quem tradit S. Ignatius in ſuis Exercitijs, facilis, ſecurus, & omnibus omnino communis, ſiue ſapientibus, ſiue ignorantibus, ſiue benè intelligentibus, ſiue rudioribus. Conſiſtit enim in eo, quòd vtamur noſtris potentijs naturalibus in rebus ſpectantibus ad noſtram ſpiritualem ſalutem, & perfectionem, quemadmodùm vtimur illis in rebus ſpectantibus ad cætera quæque negotia humana. Nimirum memoria vtimur proponendo rem, ſeu materiam; de qua eſt agendum. Intellectu vtimur, diſcurrendo, ſeu ratiocinando circa illam eo fine, vt moueamus voluntatem, ſeu noſtram, ſeu alienam ad id, quod intendimus. Voluntate denique vtimur, eos affectus exequendo, qui materiæ, de qua agitur conſentanei, atque proportionati ſunt.



Cosiderād.ᵒ e ſinis, & ſm̄ ſinem dirigend.ᵒ ē curſ.ᵒ Caſ. Col.17

EXERCITIVM I.

De Principio, & Fundamento.

HOc Exercitium, seu Meditatio, siue potius materia eius, Principium, & Fundamentum appellatur. Principium quidem. Quia in negotijs humanis à fine tanquam à primo mouente procedunt omnes operationes: & hic proponitur considerandus vltimus finis hominis. Fundamentum autem. Quia vitæ rationalis, Christianæ, & perfectæ, totiusque eius spiritualis ædificij reuerà fundamentum est.

Suppositis igitur documentis datis circa Orationem mentalem. Oratio præparatoria erit, quam ibi indicauimus; & quæ in omnibus Exercitijs semper est eadem. Compositio loci erit. Considerare omnes creaturas tanquam quosdam riuulos exeuntes ex Deo veluti ex mari immenso, vt redeant ad ipsum veluti ad suum finem, & centrum; meque vt vnam ex illis. Petitio autem. Postulare à Deo intensum lumen ad cognoscendam magnitudinem, atque excellentiam finis, ad quem creatus sum, ad eligendaque media quibus sum illum consequuturus; firmumque, & efficax propositum talia media exequendi, cæteris omnibus quibusque rebus omnino postpositis, ac spretis.

Primum punctum. Creauit me Deus, eduxitque ex nihili abysso pro sola sua bonitate, re-

relinquens in illo alios homines infinitos possibiles, quos si creasset, seruijssent ipsi meliùs, quàm ego. Deditque mihi *Esse*, non qualecumque, sed intellectuale, rationale, spirituale, paulò minus, quàm Angeli; faciens me ad similitudinem suam, & capacem sui. Finis autem, ad quem me creauit, fuit, vt in hac vita debitum ei famulatum, cultum, & honorem semper deferrem, omnes meas, ab ipsoque acceptas facultates naturales, ac supernaturales in eo penitus impendendo. Et vt per merita meorum operum æternam Beatitudinem, qua fruitur ipse, obtinerem.

Ponderabo primò. Quanta teneor obligatione ad impendendum totum, quod sum, & totum, quod operari possum, in obsequium mei Creatoris: quæ obligatio tam intrinseca mihi est, vt in mea ipsà essentià imbibita sit. Si enim, qui plantat vineam, ius habet ad colligendum fructus eius; & qui ædificat domum, ius habet ad habitandum in eà; &, qui emit mancipium omnium actionum eius dominus est: quale ius, quale dominium habebit Deus mei, & mearum titulo Creatoris, Conseruatoris, & Cooperatoris, à quo non minùs, quàm essentialiter cuncta dependent? Vnde sequitur, omnem actionem humanam Diuinæ voluntati aduersantem manifestam esse iniustitiam contra dominium Dei.

Ponderabo secundò. Quanta sit altitudo huius mei vltimi finis: quo excellentiorem nullatenus habere potui. Natus enim sum, non

vt ſeruiam Regibus, Imperatoribus ve terrenis, aut Angelis cæleſtibus; ſed vt ſeruiam ſummo Regi, ac Domino omniũ. Natus ſum non vt fruar huius Mundi caducis, ac perituris bonis, honoribus, diuitijs, delitijs, ſed vt fruar illo ſummo, & æterno Bono, in quo ſunt omnia ſimul. Natus ſum, vt ſim Beatus eadem Beatitudine, qua eſt Beatus ipſe Deus. Diſcurram per illud Pelagus immenſum Diuinarum Perfectionum, *Eſſe* ſine principio; Bonitatem, & Pulchritudinem infinitam; Sapientiam, in cuius conſpectu ſunt omnia; Omnipotentiam, quæ cuncta fecit ex nihilo; & ſine labore conſeruat; Immenſitatem, quæ totum replet; Iuſtitiam, Miſericordiam; Benignitatem; Liberalitatem, &c. Vt aliquem tandem conceptum faciam infinitudinis illius Boni, ad cuius amabiliſſimam poſſeſſionem creatus ſum.

Ponderabo tertiò. Quanti momenti ſit conſecutio mei vltimi finis. Si enim conſecutio Regni temporalis tanti momenti reputatur, vt propter illam tot theſauri, & tot vitæ hominum exponantur, & expendantur; totque impendantur curæ, vigiliæ, ſolicitudines, & diligentiæ. Conſecutio Regni æterni quanti momenti cenſeri debet? & quot expenſas propter illam debemus facere; quot curas, quot ſolicitudines, quot labores ſubire? Maximè, quòd ſi illud amittimus, non tantùm manemus ſine illo, vti euenit in amiſſione Regni temporalis, ſed neceſſariò incidimus in extremum tam horribile,

quàm eſt Infernus cum omnibus ſuis æternis pœnis.

Ponderabo quartò. Quàm ſit tremenda contingentia, in qua viuo, vel aſcendendi ad Cœli gloriam æternam, vel cadendi in Inferni pœnam æternam. Cum iam ſit neceſſe, vt altera ex his tam contrarijs ſortibus eueniat mihi: & id ſit dependens à libertate tam infirmà, tamq; impetità ab inimicis, qui me perdere ſatagunt. Expendam, quid mihi proderit, omnibus huius Mundi bonis per breue tempus vitæ potitum eſſe, ſi tandem prolabor in illum profundum abyſſum æternorum malorum? ſicut è contra quid mihi oberit, omnibus malis pœnæ huius Mundi perpeſſum eſſe, ſi comparo illis ſublimem illam fœlicitatem æternorum bonorum?

Reſpiciam attentè totam meam vitam preteritam. Planèque deprehendam, quàm multa, & magna errata commiſerim circa mei vltimi finis conſecutionem: quàm eius vixerim oblitus: quàm negligenter procurauerim: quàm obiter egerim de negotio tam principali, imo vnicè neceſſario, & ſummi momenti: quàm ſæpè fuerim in periculo me perdendi in æternùm. Ijſq; & alijs erratis bene perſpectis, firmiſſimum, efficaxque concipiam propoſitum illa impoſterùm corrigendi.

Secundum punctum. Vniuerſæ creaturæ à Deo, vt ſeruiant homini, facta ſunt. Aliæ ſeruiunt, vt alatur: aliæ, vt veſtiatur: aliæ vt cure-

tur; aliæ vt delectetur: vel ipsi Angeli sunt destinati ad custodiam eius. Gessit se Deus cum homine, sicut se gerit Pater cum Filio, cui misso in Academiam de cunctis necessarijs abundè prouidet; non certè vt ludat, aut otietur, sed vt magis commodè incumbat studijs suis, qui est finis eius. Vel, sicut se gerit Rex cum seruo absente, quem volens sibi præsentem, ei prouidet de cunctis necessarijs ad iter; non quidem, vt remoretur, aut aliò diuertat, sed vt commodiùs, citiùsque ad Regis præsentiam accedat.

Ponderabo primò. Quantum Deus diligit hominem, cui tot contulit beneficia, quot sunt creaturæ. Et quàm gratum debet sese gerere homo erga tam prouidum, ac liberalem Benefactorem.

Ponderabo secundò. Quàm magna est dignitas hominis, cuius seruitio sunt destinatæ, & cuius dominio sunt subiectæ cæteræ creaturæ.

Ponderabo tertiò. Quomodò cæteræ omnes creaturæ implent, semperque ab initio Mundi impleuerunt munera, ad quæ tanquam ad earum fines Deus creauit illas: Sol, & Luna illuminando: Stellæ influendo: Elementa cooperando: Mixta omnia operando, vnumquodque secundùm suam naturam, & tempore suo. Solus homo ingratus, & insipiens vel eo maximè, quod est perfectior, vt pote rationalis, & liber, à suo fine præuaricatus est. O peruersitas mea!

Quid propter illam mereor?

Tertium punctum. Posito, quòd Deus cæteras res omnes creauit, vt, seruiendo homini, ipsum iuuarent ad ipsius finem consequendum, sequitur, eatenus debere hominem illis vti, quatenus se ad id iuuant; & eatenus ab illis fugere, quatenus se ad id impediunt, quærendo scilicet in eis solam vtilitatem ad suum vltimum finem absque alijs respectibus. Itaque, quemadmodum in medicamentis non attenditur, an sint delectabilia, aut molesta, sed tantùm, an sint vtilia ad obtinendam valetudinem: & in vijs non attendimus, an sint planæ, vel salebrosæ, sed an ad terminum itineris nostri perducant: & artifex non attendit ad grauitatem, aut leuitatem instrumenti pro suo opere necessarij. Ita in diuitijs, aut paupertate, in honore, aut ignominia, in valetudine, aut ægritudine, in delectatione, aut dolore, in omnibus demum euentibus siue prosperis siue aduersis, quibus in hac vita sumus obnoxij, vt eos amplectamur, vel reijciamus, vt quæramusve, vel fugiamus, non est nobis attendendum ad eorum prosperitatem, aut aduersitatem, dulcedinem, aut amaritudinem, suauitatem, aut acerbitatem; sed, præscindendo à cæteris omnibus, ad vtilitatem, quam habent respectu nostri ad nostri vltimi finis consecutionem.

Ponderabo. Quomodò ex defectu huius attentionis nascuntur omnes perturbationes, peruersitates, atque peccata Mundi. Lites, dissen-

ſiones, bella, diſcordiæ, inquietudines, triſtitiæ, timores, & cætera mala culpæ, & pœnæ, ſub quibus totus hic Mundus gemit, inde naſcuntur, quòd homines non vtuntur creaturis ad finem, propter quem Deus creauit illas. Quo fit, vt violenter illæ, præterque debitum ordinem actę, dum proprio fine manent fruſtratæ, nec proſint ad extraneum. Clauis facta eſt ad aperiendam portam, cultellus ad ſcindendum panem; ſi quis, finibus permutatis, conetur cultello portam aperire, & claui panem ſcindere, totum violentia erit, & nihil fiet.

Reſpiciam Vitam meam præteritam, ponderando mearum intentionum, & actionum peruerſitatem. Qua ſolum quæſiui in creaturis, quod ſapidum eſt, & delectabile, immemor penitus vtilitatis earum ad meum vltimum finem. Cùm tamen ſolam hanc quærere deberem: quandoquidem non ad aliud viuo in hoc Mundo, quàm ad talem finem quærendum, & procurandum: & qui totus eſt in aliquo procurando fine, ſed nihil aliud attendit præterquam ad vtilitatem mediorum.

Quartum punctum. Ex dictis ſequitur: debere nos indifferentes conſtituere ad aſſumendas, vel relinquendas creaturas, ſeu quaslibet res huius Mundi, quatenus illæ conſequutioni noſtri vltimi finis, vel proderint, vel oberint. Sicut Viator in biuio poſitus indifferens redditur ad capiendam eam ex duabus viam, qualiſ-

cumque ſit, quæ in terminum ſui itineris tendit. Et ægrotus ad ſumendum medicamentum, ſeu dulce ſit, ſeu amarum, quo obtenturus eſt ſanitatem. Et Artifex ad arripiendum inſtrumenmentum, quo ad ſuum opus eget, ſeu graue ſit, ſeu leue.

Quòd ſi ægrotus, vt obtineat ſanitatem incertam, conſeruetque vitam tranſitoriam, plenè ſe tradit arbitrio Medici, nec legem vllam ei imponit circa medicamenta ab illo ſibi præbenda, expoſitus ad aſſumenda quælibet, ſeu ſapida ſint, ſeu inſipida. Quænam amentia eſt, propter ſalutem perpetuam, & vitam æternam animę noſtræ non tradere nos pleniſſimè arbitrio Medici Cæleſtialis cum omnimoda indifferentia ad amplectenda quæcumque media ipſe nobis quocumq; modo paternali ſuà prouidentià prouiderit?

Hæc indifferentia ad amplectendas, vel reijciendas quaslibet res, prout iuuerint, vel obſtiterint ad conſequendum vltimum finem, tanti momenti eſt, vt, qui eam habuerit, ſecurus haud dubiè de illius conſecutione poterit eſſe: quia nihil erit, per quod hæc poſſit ipſi impediri. Qui verò eam non habuerit, in periculo perdendi illum ſemper verſabitur, propter multa impedimenta, quæ non poſſunt non ipſi occurrere in vità præſenti. Quocirca ad huiuſmodi indifferentiam comparandam omnes ſatagere debemus. Comparatur autem ab illis, qui

qui ab omnibus rebus huius Mundi ſuos affectus remouent.

Hic iterum reſpiciam me cum magnâ verecundiâ, & pudore, videns, quantâ cum cæcitate vixerim, non aliam mearum actionum regulam habens, quàm meos inordinatos affectus. Dedit mihi Deus creaturas, vt me conducerent ad ipſum. Et ego in illis meam requiem quæſiui. Dedit, vt vterer eis tanquam medijs. Et ego in illis poſui meum vltimum finem, diligens eas plùs, quàm Deum. Dedit, vt per illas tanquam per gradus quoſdam in Cælum aſcenderem. Et ego ex eis conſtruxi ſcalam, vt deſcenderem in Infernum. Dedit, vt illæ mihi ſeruirent. Et ego me feci ſeruum earum. Dedit, vt illas ſub pedibus ponerem. Et ego eas poſui ſupra caput. Quæ abiectio eſt hæc? Quæ inordinatio? Quæ monſtroſitas vitæ? Qui abuſus rerum? Quid meretur, qui ita vixit?

Colloquio finiam, petens à Deo miſericordiam, & gratiam, vt tot, ac tanta errata corrigam, vtque proponens animo cum efficaciâ omnimodâ conſequi meum vltimum finem, vtar creaturis præcisè, vt vtilibus ad conſequendum ipſum abſque alijs reſpectibus. Pater noſter.

EXAMEN PARTICVLARE.



DE EXAMINE GENERALI quotidiano Conſcientiæ.

HOc examen valde eſt comendatum, vſitatumque à Sanctis Patribus, vtpote medium magni momenti ad purificandam animam, ad acquirendam perfectionem, & ad reddendam ſecuram æternam ſalutem.

Purificatur anima cognoſcendo internas radices vitiorum, vt extirpentur; notando externas occaſiones caſuum, vt caueantur; & pœnitendo de peccatis, defectibuſque commiſſis, cum firmo emendationis propoſito, vt impoſterum euitentur. Quæ omnia per Examen hoc obtinenda veniunt. Quoniam radices internæ vitiorum tunc nobis ſe detegunt, vt extirpentur, cum defectus, peccataque animaduertimus, in quæ frequentiùs cadimus. Quod aſſequi nequit qui non ſe examinat: quemadmodum videre non poteſt, quæ intra domum ſuam eueniunt, qui extra illam eſt. Occaſiones externæ notantur, vt caueantur, quando reflexè conſpicimus, nos in eis offendiſſe: ſicut, qui offendit in lapide, ad illum reſpiciendum ſe vertit, vt iterum non offendat in illo. A qua cautelà longè abſunt, qui non ſe examinant, atque adeò neque cum reflexione attendunt ad cauſas, & occaſiones ſuorum caſuum. Quo fit, vt iterum, & ſæpius in illis offendant, & cadant

Pœnitentia peccatorum, atque defectuum, firmumque emendationis propoſitum excitantur in hoc Examine per conſiderationem fœditatis, & malitiæ ipſorum defectuum, ac peccatorum, multitudiniſque malorum, quæ ſecum ferunt.

Perfectio acquiritur, mundando animam continuò ab immunditia vitiorum; euellendo illa radicitùs, ne iterum pullulent; plantando virtutes contrarias; atque ita colendo illas, vt quotidie robuſtiores, formoſiores, perfectioreſque euadant. Quod totum fit per hoc Examen. Eſt quippe illud velut ſcopa, qua quotidie anima, quæ domus eſt Dei, verritur, ac mundatur. Et velut inſtrumentum, quo in iſto delitiarum Dei horto quotidie extirpantur hærbæ noxiæ, ſerunturque, & excoluntur, atque perficiuntur proficuæ.

Æterna denique ſalus ſecura redditur, conſeruando ſemper in anima gratiam Dei; &, ſi quandoque per ſummum infortunium fors perditur, illam ſtatim, & abſque dilatione recuperando. Quod fit per actum perfectæ contritionis. Quæ vna eſt huius Examinis, & principaliſſima pars. Eſtque tam inæſtimabile bonum, vt propter illud, eſto alia deeſſent, deberet hoc Examen quotidie bis, aut ſaltem ſemel in nocte ante cubitum ab omnibus fieri. Ex defectu enim huius diligentiæ multi proculdubio damnati ſunt, capientes ſomnum cum peccato, & in Inferno expergiſcentes. Quis Chriſtianorum

rum habens fidem, ſcienſque, ſe in ſtatu peccati eſſe, audet, non dico ego cubitum ire, ſed ne per vnam quidem horam in eo manere, potens ab ipſo ſtatim per contritionem exire; ſcienſque inſuper, poſſe ſe per ſubitaneam mortem, vti contigit multis, in Infernum præcipitari? Quis ſciens, eſſe intra domum ſuam latronem, & inimicum capitalem, reciperet ſe ad dormiendum incurius antequàm illos, cum poſſet, foras eijceret? Latro eſt peccatum mortale, cum quo adeſt inimicus Dæmon, non iam intra domum, ſed intra animam eius, qui peccauit. Qui poteſt, ſi vult, per actum contritionis illos expellere, gratiamque, & amicitiam Dei amiſſam recuperare: extrema haud dubiè dementia erit, id non præſtare ſtatim, & abſque dilatione vlla.

Ad omnia dicta conſequenda auxilia efficacia gratiæ Dei neceſſaria ſunt, quæ in hoc quoque examine obtinentur medijs Actione gratiarum, & Petitione, quæ ſunt partes eius. Et ſunt veluti duę claues, quibus diuinarum miſericordiarum fons aperitur, vt ſine obſtaculo currat cum abundentia.

FORMA HVIVS EXAMINIS generalis conſtat ex quinque punctis.

PRimum eſt. Poſitus cum reuerentià magnà coram Deo D. N. reddam ei multas gra-

gratias propter innumera beneficia, quæ mihi contulit; tum generalia, & alijs communia, qualia ſunt creatio, conſeruatio, redemptio, vocatio ad Ecceleſiam, &c. tum particularia, & mihi propria: pariterque propter infinita mala corporis, & animæ, à quibus me præſeruauit, ac liberauit.

Secundum. Petam a Deo gratiam ad cognoſcendum meos defectus, atque peccata illius diei, ad concipiendumque magnum dolorem tum de illis, tum de cæteris totius vitæ propoſitumque firmum illa non ampliùs, neque alia vnquam committendi.

Tertium. Diſcurram de hora in horam; de loco in locum; de negotio in negotium, recognoſcendo mea in illà die mala, atque etiam bona facta cogitatione, verbo, & opere.

Quartum. Pro bonis Deo gratias agam. Pro malis autem humiliter, & confidenter ab ipſo veniam petam.

Quinto. Dolebo ex toto corde mala commiſſa. Illaque cauere deinceps enixè proponam. Vtque me excitem ad actum contritionis perfectæ, quo ſemper Examen eſt terminandum, conſiderabo, quàm bonus eſt Deus in ſe ipſo, & quàm bonus fuit erga me, tot mihi conferens beneficia: & ego quàm malus fui erga eum, tot ipſum offendens peccatis. Dicamque cum filio prodigo. Pater peccaui in Cœlum, & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.

tuus. Sed meme pęnitet Domine te te offendiſſe; quia tu es, qui es, & quia iam te ſuper omnia diligo; firmiterque propono, nunquam iam ampliùs me te offenſurum cum gratià tuà.
Pater noſter &c.

DE EXAMINE PARTICVLARI *quotidiano Conſcientiæ.*

BOna deſideria, & propoſita, quæ in oratione, in alijſque exercitijs ſpiritualibus concipit anima, ſi ad executionem non perueniunt, ſunt, ſicut flores non coagulatæ, quæ ſine fructu manent. Et quoniam huiuſmodi deſideria, & propoſita ordinariè ſunt obiectorum vniuerſalium, exequutiones verò, ſiue actiones, vti dixit Philoſophus, neceſſariò ſunt ſingularium, neceſſe eſt, vt ſit ſpeciale exercitium omninò executiuum, & practicum, quo reſpiciens res propoſitas in ſingulari totum ſe occupet in earum executione. Cæterùm, quia difficilius eſt exequi, quàm proponore, & Dæmon in executionibus noua obſtacula interponere, & nouas difficultates addere ſolet; oportet, vt materia huius exercitij vnica ſola ſit, vt recollectis in ipſam ſolam attentione, ſolicitudine, & cæteris viribus animæ, meliùs, & citiùs poſſit eius executio obtineri.

Hoc exercitium ſpeciale eſt Examen particulare, quod nos docuit S.Ignatius. Cuius mu-

munus eſt eradicare ex anima aliquod particulare vitium, aut plantare, & alere in illà aliquam particularem virtutem. Et, incipiendo à vitijs, illud primum eſt eligendum, quod magis noxium animæ eſt, deinde, quod ſequitur, poſtea tertium, & cætera ſuo ordine; donec videatur eſſe iam tempus, vt in virtutibus plantandis iſtud Examen occupetur: quæ ſingulatim pariter ſunt eligendæ iuxta ordinem, quo ſe excedunt in dignitate, aut vtilitate.

Verùm, quia magni intereſt, ſcire bene eligere materiam Examinis particularis, diſtinctiùs adnotantur ſequentia. 1. Eſſe in vnoquoque homine aliquod vitium, quod præ cæteris dominatur: contra quod imprimis eſt dimicandum medio Examine particulari: & eo victo, ad aliud pergendum, quod inter cætera eminet; ſicque deinceps eligendo ſemper magis noxium. 2. Inter vitia primò pugnandum eſt contra illa, quæ prodeunt in actus externos; cum offenſione, aut ſcandalo Proximi; & poſtea contra reliqua. 3. Sat eſt habere iam moderata vitia, vt transferatur hoc Examen ad exercitium virtutum: nam & per hoc conſequenter illa ampliùs; & ampliùs moderantur. 4. Inter virtutes illæ ſuo ordine ſunt eligendæ, quæ magis conducunt ad conſequendam perfectionem. Veluti, offerre Deo omnia diei opera ſingulatim illaque propter ipſius amorem facere: conformare ſe cum voluntate diuinà in omnibus,

quæ eueniunt quoquomodo : ambulare in præſentià Dei , ſemper cum ipſo, quoad fieri poſſit, conuerſando, &c.5. Vt quiſque materiam huius examinis eligat meliùs , & tutiùs , aperiat Patri Spiritualia conſcientiam ſuam , & eius conſilium ſequatur .

FORMA HVIVS EXAMINIS particularis continet quatuor puncta .

PRimum eſt . Proponam firmiter primo mane non cadere vſque ad meridiem in illud peccatum , ſiue defectum , de quo eſt examen , petamque gratiam à Deo ad implendum propoſitum .

Secundum . Incedam interdiu cum curà ſpeciali non cadendi : ſi autem ex inaduertentià , aut ex debilitate cecidero , ſtatim per penitentiam ſurgam cum nouo , ac firmiori iterum non cadendi propoſito : (quemadmodum generoſus equus , qui offendit , & cadit , mox ſurgit, & cum maiore conatu pergit vlterius :) pro caſuſque reminiſcentia ſignum aliquod faciam mihi ſoli , non item adſtantibus, notum , Tantumdemque , quoties cecidero , præſtandum mihi eſt . Solent aliqui ad numerandos caſus globulos quoſdam ſecum ferre in funiculo appenſos .

Tertium . Examinabo me meridie ; & quot me vicibus eo mane cecidiſſe reperero , toti-

totidem lineolis illas in charta ſignabo: atque cum illarum dolore, propoſitoque deinceps non recidendi veniam petam a Deo. Pariterque cum peculiari curà non cadendi procedam veſpere: quòd ſi ceciderim idem faciam, quod mane.

Quartum. Examinabo me nocte paulò ante cubitum; ſignatisque in eàdem charta ſimiliter caſibus veſpertinis, numerum eorum cum numero matutinorum conferam. Tantumdemque faciam diebus ſequentibus conferendo caſus vnius diei cum caſibus alterius. Pariterque conferam caſus vnius ſeptimanæ cum caſibus alterius: & caſus vnius menſis cum caſibus alterius. Si videro, me paulatim proficere, Deo referam gratias. Sin minus, non ob id animum deſpondebo, ſed vehementiùs, atque efficacius proponam impoſterum. Vtque victoriam tandem obtineam, non tantùm illam à Deo inſtanter poſtulabo, ſed aliquam inſuper mihi pœnam præſcribam pro ſingulis vicibus, quibus cecidero.

Qui non potuerit examen hoc bis facere in die, faciat ſemel in nocte. Forma autem eius exhibita pro vno extirpando vitio; eadem proportionali modo eſt obſeruanda pro vna comparanda virtute.

DE CONFESSIONE GENERALI.

QVando ſcitur, aut prudenter timetur, aliquas ex confeſſionibus præteritis inualidas fuiſſe, vel ex defectu integritatis, vel ex defectu doloris, aut propoſiti emendationis, tunc confeſsio generalis totius illius temporis neceſſaria eſt. Quamuis autem neceſſaria non ſit, quando prudenter cenſetur omnes confeſſiones præteritas fuiſſe bene factas, vtiliſſima tamen eſt, (vel totius vitæ in eo, qui nunquam illam fecit, vel in eo, qui aliquando fecit, temporis ab vltima tranſacti,) præſertim, dum hæc aguntur Exercitia, quando propter maiorem cognitionem peccatorum maior eorum dolor eſt. Oportet tamen, vt, qui, ſe exercet, de illà non cogitet, ne cætera exercitia præpediat, donec admoneatur à Directore. Si autem alium non habet Directorem præter hunc Libellum, differat vſque ad vltimos Exercitiorum dies confeſſionis ganeralis examen, ſi illud breue futurum ſit, quin tamen propter illud quidpiam demat de quatuor horis Orationis. Si verò futurum ſit longum, melius erit, vt illud differat poſt totam hebdomadam Exercitiorum immediatè faciendum, mox ſine morà poſt illud factum confeſſione generali ſequutà.



DESIDERIVM PECCATORVM PERIBIT. *Psal. 111.*

EXERCITIVM II.
De Peccatis mortalibus.

COncepto efficaci propoſito conſequendi ſuum vltimum finem, conſequenter proponit homo è medio tollere impedimenta conſecutionis eius. Eſt autem vnicum dumtaxat, ſcilicet peccatum mortale: nam hoc ponit vltimum finem in creaturà, & non in Deo. Atque adeo, vel vnico ſtante in homine peccato mortali, nec Deus, nec Cœlum, nec Saluatio pro illo eſt: Quapropter contra hunc inimicum totum noſtrum odium, & bellum eſt impendendum. Ad quod præſens Exercitium, atque ſequentia diriguntur.

Cuius Oratio præparatoria eſt eadem, quæ ſemper. Compoſitio autem loci poterit eſſe. Conſiderare me quaſi exulem in hac lacrymarum Valle inter bruta animalia; & animam meam quaſi conſtrictam in carcere corporis compedibus, atque catenis peccatorum meorum. Petitioque erit. Poſtulare à Deo viuidam cognitionem grauitatis, malitiæ, ac multitudinis illorum; & intenſiſſimum dolorem, confuſionem, ac verecundiam, quòd illa commiſerim, cum efficaci, & firmo propoſito illa non ampliùs committendi.

In primo puncto, ſupplicia aliqua à Deo pro peccatis inflicta conſiderabo, vt horum infini-

finitæ malitiæ per magnitudinem illorum conceptum aliquem efformem. Primum fuit in Angelis præuaricantibus. Creauit Deus omnes Angelos ornatos innumeris perfectionibus tum naturæ, tum gratiæ. Sed, vt per merita propria lucrarentur suam gloriam, eos in sua libertate reliquit. Superbijt magna pars eorum, & in peccatum mortale ceciderunt. Quosnam effectus hæc culpa induxit in creaturas tales? Ex Angelis conuertit in Dæmones. Ex pulcherrimis creaturis fecit fœdissimas. Ex charissimis amicis Dei odiosissimos inimicos. Ex Celi nobilissimis ciuibus Inferni incolas abiectissimos. Ex felicissimis denique infœlicissimas omnium creaturarum: quandoquidem gloriam æternam pro æternis tormentis commutarunt. Ponderabo, quòd opera Dei in mensura, numero,& pondere facta sunt. Quòd Deus est iustissimus in puniendo, nec peccatum vltra, sed potiùs infra condignum punit. Quòd Deus à se est infinitè misericors, neque iustitià suà vtitur, nisi prouocatus aliunde. Quòd Deus amabat hos Angelos, vt primum, illudque tam perfectum opus manuum suarum, amore infinito Patris,& Creatoris eorum. Si igitur talis Deus creaturas tales tam ingenti, & nunquam in æternum finiendà pœnà puniuit propter vnicum peccatum mortale; quis non hinc mortalis culpæ perspicit infinitam malitiam? Quis non eam horret? Quis non eam fugit, etiam cum dispendio vitæ, atque om-

omnium bonorum eius , vti fecerunt Martyres ? Et ſi peccatum vnum mortale tantam ſtragem fecit in Angelis ; quid ego miſer homo ex tot à me commiſſis ſpero , niſi amaræ pœnitentiæ lacrymis illa diluero ? Et ſi vna gutta veneni cadens in vaſis illis argenteis , & aureis tantam Deo nauſeam concitauit , vt illa ex Cęli promptuariò in ſterquilinium Inferni ſtatim proiecerit , ego vas terreum , plenum vſque ad os ipſum veneno peccatorum , quid ſpero ? Quomodò Deum non timeo ?

Secundum ſupplicium ob vnum peccatum mortale inflictum à Deo fuit illud humani Generis primorum Parentum. Creauit Deus Adam, & Euam in gratià,& amicitià ſuà, ornatos dono Iuſtitiæ originalis, & à morte , omniq; malo pęnæ exemptos. Poſuit eos in Paradiſo voluptatis. Sed, vt eorum obedientiam experiretur,ipſis pręcepit, ne comederent de fructibus vnicę arboris. Decepti à Serpente fregerunt præceptum comedendo , ſicq; peccatum vnum commiſerunt mortale ; paruum quoad ſpeciem , vt potè parui eſus vetiti fructus , ſed reuera grauiſſimum propter altitudinem finis præcepti , & propter circumſtantias . Quos hoc peccatum effectus procreauit in Mundo ? Adam, & Eua pro ſe, & pro ſuis deſcendentibus Iuſtitià originali priuati ſunt : damnati ad mortem: expoſiti doloribus,infirmitatibus , cæteriſque huius Mundi miſerijs : eiecti è Paradiſo : & ad veſcendum panem ſuum in-

ſudore vultus ſui condemnati. Vbi eſt adnotandum, omnia mala culpæ, & pœnæ, quæ ſunt in Mundo, tot peccata, tot bella, tot lites, tot contentiones, triſtitias, timores, cæteraſque innumeras calamitates temporales cum pęnis ęternis Damnatorum, velut ſcintillas quaſdam eſſe ex illo primę culpę fulmine deriuatas, & argumentum, ac teſtimonium Iuſtitiæ Diuinæ. Hìc faciendæ eædem ponderationes, quæ ſupra: obiter animaduertendo, nullum locum eſſe ſecurum; ſiquidem Angeli in Cœlo, & Adam in Paradiſo ceciderunt: & quomodò non obſtantibus quibuſuis donis acceptis à Deo, ſemper adeſt periculum; ſemperque ſubinde debemus, vt monet Apoſtolus, cum metu, & tremore noſtram ſalutem operari.

Tertium ſupplicium illud eſt, quo Deus punit in Inferno peccatum mortale. Licèt enim cum vno ſolo moriatur homo, tandiù in pęnam eius intra voraces illas flammas arſurus eſt, quãdiù Deus eſt extiturus, vt Fides docet. Illudque immenſum miſericordiæ Pelagus creaturæ à ſe factę, tamq; dilectæ, vt pro ea vnigenitum ſuum Filium è Cruce ſuſpenderit, ignem, quo comburitur, flatu ſuo eſt accenſurus in ęternum, vt ait Iſaias, abſque vllà commiſeratione, potiùs cum gaudio, quòd ibi videat exerceri ſuam infinitam Iuſtitiam. O peccati mortalis horribiliſſima malitia, quæ tanto ſupplicio digna eſt! O quę hominum ſtupidiſſima inſania, qui, credentes hanc veritatem, illud audent committere! Quiſnam

equus

equus tam præceps it, vt ad aſpectum nudienſis non ſe detineat? Et tamen Chriſtianus videns coram ſe Infernum apertum, in barathrum peccati mortalis ſeſe præcipitat, certò ſciens, ſi in hoc moriatur, in illud caſurum. Vnde meam cæcitatem, qui tot commiſi, animaduertam; & aperiam oculos.

Quartum denique ſupplicium, maiori adhuc admiratione dignum, ſit illud, quo Deus puniuit ſuum Filium propter peccata aliena; tradens Auctorem vitæ morti acerbiſſimæ. Nam ſi in viride ligno, vbi teredo peccati locum non habuit, tantus accenſus eſt ignis diuinæ Iuſtitiæ; in ſicco, qualis ego ſum, tot peccatorum teredinibus perforato quantus accendetur? Et ſi Vas, cùm eſſet Deus æqualis Patri, tales pro peccatis alienis pœnas ſubiuit: ego viliſſima creatura, qui ſum ipſe debitor, quales pro peccatis proprijs timere debeo? Ob hæc, & alia ſupplicia, quibus peccata digna ſunt, ingens aduersùs illa horror, ingenſque odium eſt mihi concipiendum: atque ingens timor, & tremor iræ diuinæ.

Secundum punctum erit. Couſiderare malitiam, ac diſſonantiam peccati mortalis per id, quod in ſe ipſo eſt. Conſiſtit enim, vt docet. S. Thomas, in auerſione quadam à Deo, & conuerſione ad creaturam. Per quod apparet, peccantem mortaliter Deum ipſum pro creaturà commutare, æſtimando pluris creaturam, quàm

 Deum;

Deum ; maioriſque ponderis ducendo bonum falſum , & momentaneum , quàm verum , æternum, & ſummum Bonum'. Vnde peccatum mortale coutemptus quidam eſt Dei cum creaturà comparati ; deſpectuſque iuſtiſſimarum legum ; ditiſſimarum promiſſionum , & formidabilium minarum eius . Eſt demum grauiſſima offenſa à creatura contra ſuum Creatorem illata : per quod apertè detegitur infinitudo eius . Si enim in bona Theologia offenſa creſcit iuxta magnitudinem offenſi , & vilitatem offendentis , cùm diſtantia inter Creatorem , & creaturam ſit infinita, neceſſe eſt , vt offenſa à creaturà in Creatorem per peccatum irrogata infinita ſit. Hìc poſſum latè diſcurrere per diuina Attributa . Reperiamque , nullum eſſe reſpectiuè ad quod peccatum mortale ſpecialem diſſonantiam nõ induat . Nam quæ diſſonantia eſt coram , & ante ipſius oculos irrogare iniuriam offenſo ? Deus autem per ſuam immenſitatem adeſt præſens peccanti ; & per ſuam ſapientiam intuetur peccatum eius . Quę diſſonantia eſt, practicè per peccatum odiſſe illum; qui propter ſuam infinitam Bonitatem eſt dignus omni amore ? Quæ diſſonantia eſt,offendere Iudicem ipſum , qui de offensà eſt iudicaturus; & poteſt ſtatim ſe offendentem ad mortem condemnare ? Peccator autem Deum offendit Iudicem ſuum ; qui poteſt ipſum ſtatim in Infernum proijcere . Pariterque per alia Attributa ſecundùm ſe conſiderata diſcurrere poſſum.

Quòd

Quòd si Deum vt meum Benefactorem aspiciam, haud satis stupebo monstrositatem, quam insuper fert secum peccatum meum ratione ingratitudinis. Si enim considero multitudinem sine numero beneficiorum, quæ Deus mihi hactenus contulit; & quæ intendit mihi in Cœlo conferre per integram æternitatem: deprehendam planè, estò ego totidem obsequijs ipsi hactenus correspondissem, & in æternum correspónderem, fore vtique vt vix vel minimum signum monstrarem debitæ gratitudinis. Quanta igitur, quàmq; abominabilis ingratitudo erit, loco obsequiorum tot, tàmque execrandis iniurijs ipsi correspondisse? Hìc possum discurrere sigillatim per beneficia accepta; ponderando, quàm male cum tanto Benefactore me gesserim; quantumque supplicium meretur tam fęda ingratitudo. Et hinc pariter procurando intensum dolorem elicere de peccatis commissis cum firmo proposito nullum omnino iam committendi.

In tertiò puncto procurabo legitimum conceptum formare malitiæ peccati mortalis; legitimumque subindè concipere horrorem eius, per suos effectus abominabiles. Quorum aliqui sunt sequentes. 1. Est mors animæ, quam longè plùs fędam, abominabilemque reddit coram Deo, & Angelis, quàm est coram hominibus corpus mortuum putridum iam ac fętens. 2. Remouet ab animà Deum, in eamque introducit Dæ-

monem. Quo fit, vt illa de Sanctissimæ Trinitatis templo pulcherrimo in caueam spurcissimam bestiæ Infernalis conuersa maneat. 3. Transformat hominem ex charissimo amico Dei in mancipium Dæmonis odiosissimum. 4. Obcæcat oculos intellectus, lumenque rationis obscurat, conuertens quodammodò hominem de rationali in brutum. 5. Priuat hominem nobilitate filij Dei, participationeque diuinæ naturæ, quam habebat per gratiam. 6. Priuat deinde Maioratu, ac iure, in quo erat, ad Regnum gloriæ æternum, & bona eius. 7. Priuat præterea diuitijs meritorum gloriæ, quas eovsque suis bonis operibus comparauerat. 8. Priuat denique auxilijs efficacibus gratiæ. Vnde venit, vt vnum peccatum sit causa aliorum, & aliorum. 9. Tollit orationi efficaciam. 10. Tollit in ærumnis consolationem. 11. Tollit pacem cordis, & gaudium bonæ conscientiæ. 12. Demum trahit secum malam mortem, & alia præter dicta innumera mala. O monstrum ex omni fęditate compositum! O abyssus omnium miseriarum! O cæci, qui te diligunt! O insani, qui te non fugiunt! Et heu me miserum si non adeò pęnitet me, quòd te quæsiui, & sum amplexatus, vt potiùs millies vitam perdam, quàm ad te redeam.

Quartum punctum erit discurrere per vitæ meæ periodos, considerando generaliter, quot peccata in eà commisi. Forsitan enim deprehen-

hendam, nullum esse præceptum Dei, & Ecclesiæ, quod sæpe non fregerim cogitatione, verbo, aut opere. Concipiensque me vt apostema quoddam, ex quo circumquaque stillat putredo: haud satis admirari potero; quomodò Deus hucusque me tolerauerit? Quomodò me illuminauerit Sol? Quomodò Cœli suis influentijs me conseruauerit? Quomodò Aer respirationem mihi dederit? Quomodò me refrigerauerit Aqua: & Ignis calefecerit? Quomodo Terra aperto aliquo ore non me deuorauerit? Et quomodò Creaturæ omnes non conspirarunt contra me, tanquam contra inimicum communis Domini? Vidensque misericordiam, qua Deus erga me vsus est, non habens iam me in Inferno clausum, vti habet alios propter pauciora meis peccata, incensus gratitudine, & ardens amore Colloquio finiam, petens à Christo Domino è cruce pendente iatensum de meis culpis dolorem cum firmo proposito nunquam iam illas committendi. Pater noster.





In pūcto ad inferna descēdunt. Iob 21.

DE PECCATIS Venialibus.

QVoniam in octiduo Exercitiorum locus non est, vt de hoc habetur oratio, poterit in eis illud aliquoties pro lectione ſpirituali ſeruire. Poſteaque per annum materia orationis, eaque valdè proficua, poterit eſſe.

Duplex eſt genus peccatorum venialium. Alia enim committuntur ex negligentià, imbecillitate, aut paruà aduertentià: à quibus ne Perfecti quidem immunes ſunt. Alia committuntur ex malitià, hoc eſt, ex induſtrià, ſeu datà operà, & cum plenà aduertentià: quæ omnes poſſumus cum diuina gratia vitare; de factoque vitant multi fideles Filij atque feruentes Serui Dei. Et de his potiſſimùm hìc tractamus.

Oratio præparatoria erit ſolita. Compoſitio loci. Imaginari animam meam veluti infirmam, debilem, imbecillem, ac ſine viribus peccatorum venialium ægretudinibus. Petitio autem. Poſtulare à Deo claram de illis cognitionem, intenſum de commiſſis dolorem, & firmum propoſitum iam illa ampliùs non committendi.

Primum punctum erit. Conſiderare rigorem, quo Deus punit peccata venialia. Siquidem ad illa præcipuè punienda horribilem carcerem Purgatorij paratum habet. Vbi animæ

præ-

præter pœnam damni, eamque grauissimam, quam, non videndo Deum, patiuntur, adeò atroces cruciatus tolerant ab igne, quo cremantur, vt iuxta communem Patrum sententiam nulla in hoc Mundo pœna sit cum suà comparabilis. Itaque nec pœnæ Martyrum, nec pęnæ eorum, qui puniuntur ob sua delicta, nec pœnæ ægrotantium quibusuis, quantumuis acerbis, infirmitatibus accesserunt vnquam ad magnitudinem pœnarum Purgatorij; excedentibus his illas prętereà incomparabiliter quoad durationem. Nã, vt scitur per reuelationes legitimas, & approbatas, aliquæ animæ extiterunt viginti annis in Purgatorio, aliæ quadraginta, aliæ quinquaginta, aliæ pluribus. Quod est horribile, & vehementer formidabile.

Vndè ponderabo primò, non posse non esse horribilem malitiam peccatorum venialium, supposito, quòd iustè est punita pœnis tam horribilibus. Et hoc in animabus non inimicis, quales sunt Damnatorum, sed amicis Dei, & sponsis eius; ab ipsoque cum amore infinito amatis, & destinatis ad fruendum ipso in æternum. Si Rex desponsatus cum pauperculà virgine natà, educataque in Vico ignobili (parato iam triumpho, cum quo illa in curiam Regiam ad fruendum suà felici sorte ingressura erat) ipso die ingressui destinato iuberet, eam in carcerem detrudi; & ibi tormentis acerbissimis per longum tempus puniri. Quid diceremus de talis

vir-

Virginis delictis in suum Regem, Dominum, & Sponsum commissis? Vtique, quòd grauissima fuerant. Hoc tamen vmbra est respectu veritatis eius, quod euenit animæ morienti in gratià Dei, quæ cum statim esset in curiam Cælestem ingressura triumphans ad fruendum Sponso, & Regno suo, propter peccata venialia commissa, in carcere Purgatorij per longum tempus detinetur, acerbissimisq; tormentis ibi cruciatur.

Secundò ponderabo, quantum horrorem de peccatis venialibus debeo concipere: quandoquidem secundum Apostolum ea sunt ligna, fœnum, & stipula, quibus ignis Purgatorij cibatur; & nutritur ad comburendum ipsorum auctores. Etenim, si esset dementia extrema eius hominis, qui diceret vnum mendacium, vel quoduis aliud peccatum veniale committeret, sciens certò se propter illud statim in rogum accensum proijciendum esse, & cremandum; etsi tormentum hoc simul cum vità intra vnam, vel duas horas esset finiendum. Quanta dementia eorum est, qui tam multa committunt passim audacter, & intrepidè, scientes cum certitudine Fidei, quòd, si ab illis non exeunt purgati ex hac vita igne tremendo Purgatorij purgandi sunt, non per vnam, aut duas horas, sed per multos dies, aut menses, aut etiam annos?

Punit prætereà Deus peccata venialia sæpe in hac vità multis modis. Iam pœnis corporalibus infirmitatum, dolorum, persecutionum,

num, &c. Iam ſpiritualibus maioribus; vt ſunt permiſſiones tentationum, quæ valde affligunt, inquietudines, turbationes conſcientiæ, deſolationes obſcuritates, ſiccitates, demum priuationes, illius pacis, ac tranquillitatis, quæ fructus eſt bonæ conſcientiæ. Iam (quod eſt magis formidandum) ſubtractionibus illorum donorum, & auxiliorum gratiæ ſuæ, ſine quibus homo aut eſt in periculo proximo cadendi in peccata grauia, aut de facto cadit in illa. Nam iuxta ſententiam Sapientis. Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Valde igitur formidandæ ſunt culpæ, quæ ſecum afferunt tales pœnas.

Secundum punctum erit. Animaduertere, quàm magna eſt malitia peccati venialis conſiderati ſecundum ſe; quamuis ea dicatur, & ſit parua comparata cum malitià peccati mortalis. Primò enim peccatum veniale eo ipſo, quòd eſt contra rationem eſt macula, fœditas, inordinatio, & monſtroſitas Animæ, quod illam immundam, fœdam, atque monſtroſam reddit.

Secundò eo ipſo, quòd eſt contra præceptum, & voluntatem Dei, eſt vera offenſa; iniuria, deſpectuſque ipſius Dei. Propter quod ſolum (eſto deeſſent cætera) eius veri filij, & ſerui fideles debent pluſquàm mille mortes illud horrere, & fugere. Quid enim diceremus de filio, qui diceret. Ego Patri meo non irrogabo iniuriā talem, propter quam me domo eijciat, & hereditate priuet; minores autem irrogare, vt meos im-

impleam appetitus, non recusabo. Diceremus vtique, illum nomine *filij* dignum non esse. Tales ergo sunt, qui aduertenter, & datà operà peccata venialia committunt.

Tertiò, eo ipso, quòd peccatum veniale est offensa, & iniuria Dei, est malum quoddam ipsius Dei, & quia est malum Dei, est maius malum omnibus malis pœnæ creaturarum temporalibus, & æternis. Adeò, vt si cui daretur electio inter hæc duo extrema. Vel facere vnum peccatum veniale. Vel pati in æternum omnia tormenta Inferni cum priuatione totius gloriæ Cœli; hoc potiùs secundum; quàm illud primum iuxta rationem rectam deberet eligere. Cum sit certissimum, minimum malum culpæ maius esse summo malo pœnæ; & minus malum ad euitandum maius debere eligi. Quis igitur non timeat, fugiatque malum illud, qui excedit omnia mala pęnæ simul coniuncta in vno?

Tertium punctum erit, considerare, quomodò peccatum veniale spiritualis ægritudo animæ est: sicque illi eos propotionaliter præstat effectus, quos ægritudo corporalis solet præstare corpori: nimirum imbecillitatem, defectumque virium ad exercendas virtutes, & ad vincendas tentationes: tædium rerum spiritualium, orationis, & conuersationis cum Deo: debilitatem, lassitudinem, & pigritiam ad deambulandum per viam spiritus: & consequenter inclinationem magnam ad quiescendum supra

bo-

bona terrena, cùm repugnantià non minore ad quærenda Cœlestia.

Et hinc fit, vt, quemadmodum ægritudo corporalis est dispositio ad mortem corporis (& hoc est maius eius malum, & quod maiorem inducit solicitudinem, & timorem) ita ægritudo spiritualis peccati venialis est dispositio ad mortem animæ, scilicet ad peccatum mortale. Et hoc est, quod in illo debemus plus timere, & horrere.

Disponit peccatum veniale ad mortale, vt docet S. Thomas, primò per modum cuiusdam consequentiæ: quatenus per peccata venialia paulatim assuescit homo ad transgrediendum rationis limites, ac non timendum dissonantiam culpæ, audendumque deuorare illam: paulatimque subinde conscientia laxatur, & ampliatur culpis minoribus; quousque iam sine difficultate valet capere in se maiores. Vndè est bona consequentia. Committit quis cum aduertentia peccata venialia. Ergo committet & mortalia. Est infidelis super pauca. Ergo etiam erit super multa? Contemnit parua. Ergo & contemnet maiora. Iuxta iltud iam ex Sapiente commemoratum. Qui spernit modica, paulatim decidet.

Secundò, peccatum veniale disponit ad mortale indirectè. Hoc est remouendo impedimenta eius. Quæ ad quatuor reducuntur. Primum est subiectio ad Deum, & ad eius Sanctum

ctum timorem: quæ ſubiectio audacià peccandi venialiter quotidie minuitur, donec iam audeat in magnis, qui audebat in paruis. Secundum ſunt habitus virtutum: qui per peccata contraria, tametſi leuia, adeò remiſſiora paulatim, ac ſubtiliora fiunt, vt tandem frangantur per grauia. Nam vt ait S. Gregorius, cuncta redduntur conſuetudine ſubtiliora. Et gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo, Tertium eſt auxilia diuinæ gratiæ: quæ Deus eò minus largiter confert, quò homo indignior fit illis per peccata venialia; donec deſinunt eſſe efficacia ad vitanda mortalia. Quartum eſt vis, & robur ſpiritus: quæ per peccata venialia ita debilitantur, vt occurrente tentatione graui, contra illam homo non præualeat; ſicque victus cadat.

Tertiò ad peccatum mortale diſponunt venialia, quando ſunt multa, per modum ponderis potentis in eius abyſſu ſubmergere animam ratione multitudinis, non magnitudinis. Sicuti guttulæ aquæ, & arenulæ, quantumuis ſint leues ſeorſim, nauim, quam intrant, ſubmergere in mari poſſunt, & ſolent, ſi multæ ſint. Quo circa dixit Auguſtinus, ruinam multitudinis, & ruinam magnitudinis æquè eſſe timendas. Nam ſi tandem vincor, & cado, parum intereſt, vt id eueniat, quòd erant inimici multi, vel quòd erant fortes.

Vnde colligitur, peccata venialia facta

cum aduertentià, & frequentià hominem ponere in periculo proximo cadendi in mortalia. Quia ponunt hominem in eo tepiditatis ſtatu, ratione cuius Deus non ſolùm prouocatur ad vomitum; ſed incipit iam euomere illum ex ore ſuo, vt dicitur in Apocalypſi. Hoc eſt, incipit illum à ſua protectione ſubtrahere: quò cadat in peccata grauia. Vnde alterum periculum maius ſequitur. Nam, quemadmodum, quod ſemel euomitur, non ſolet iterum deglutiri: ità, quem Deus propter huiuſmodi tepiditatem, audaciamque in committendis peccatis venialibus ſemel euomit, non ſolet iterum deglutire reducendo illum ad ſuam gratiam; ſubindeque ſine illà moritur, & perit. Quia relinquitur in ſtatu illorum relapſorum, qui nouis peccatis perdunt gratiam antea acquiſitam. De quibus loquens S. Paulus dicit, impoſſibile eſſe moraliter; rurſus ad pœnitentiam reuocari eos, qui ſemel illuminati, & facti participes Spiritus ſanti per gratiam, ab eo ſtatu fæliciſſimo prolabuntur per peccatum mortale. Et S. Petrus dicit, loquens de eiſdem, eos, qui fugientes coinquinationes Mundi acquiſiuerunt guatiam Dei, ſi his rurſus implicati ſuperantur, & illam perdunt, in ſtatu manere peiore eo, quem habebant ante acquiſitionem illius: facta enim eis eſſe poſteriora deteriora prioribus. Quippe vniuerſaliter, & vt plurimùm peius, & periculoſius eſt recidere, quàm cadere.

Ex

Ex dictis in toto hoc Exercitio primùm colligam. Quàm magnum malum sunt peccata venialia: quantumque proinde debeo illa odio habere: tum quàm magnum periculum secum ferunt cadendi in mortalia, aut etiam ex eis non resurgendi: quantumque propterea debeo illa timere, & fugere.

Secundò concipere satagam intensum dolorem commissorum, cum firmo proposito illa iam ampliùs non committendi.

Colloquioque finiam, petendo à Deo integram veniam præteritorum: & efficacem gratiam pro perfectà emendatione in futurum. Pater noster.



QVA HORA NON PVTATIS. *Luc. 12.*

ESERCITIVM III.
De Morte.

A Deo est efficax ad non peccandum memoria Nouissimorum nostrorum, vt dicat Spiritus sanctus. In omnibus operibus tuis memorare Nouissima tua, & in æternùm non peccabis. Quorum primum est Mors, materia huius Meditationis. In qua Oratio præparatoria erit solita. Compositio loci erit. Imaginari me ipsum iacentem in lecto, proximum iam articulo mortis, desperantemque de vlteriore vità, vtpote cui iam à Medicis denuntiatum est, quod Isaias denuntiauit Ezechiæ. Dispone domui tuæ: quia morieris tu, & non viues. Petitio autem erit. Rogare Deum, vt det mihi, quòd sentiam modo id, quod tunc sum sensurus de omnibus rebus præsentis vitæ, atque futuræ.

Primum punctum erit de natura, & proprietatibus Mortis. Sed antequàm illas considerem. Supponam veritatem, de qua dubitare nemo potest: vtpote quam Fides diuina, ratio naturalis, & experientia quotidiana cum infallibili certitudine, & euidentià clarissimà manifestant. Hæc est. Quòd omnes sumus morituri. Iam in Tribunali Dei, dicit Apostolus, Statutum est hominibus semel mori. Et est hæc lex tam vniuersalis, vt neque Christus Dominus, neque Sanctissima Mater eius fuerunt exempti

ab illà: tametsi fuerint ab alijs legibus diuinæ Prouidentiæ. Omnes sumus morituri. Magni, & parui; nobiles, & plebeij; diuites, & pauperes; iuuenes, & senes; denique omnes. Post centum annos nullus homo ex hodie viuentibus viuet, sed alij loco eorum. Sicut nullus hodie viuit ex illis, qui centum annos retro vixerunt. Currunt sæcula, vt fluctus maris, quorum vnus sequitur alium, donec omnes euanescunt in litore; vel sicut aquæ fluminum, quarum, quæ modò sunt præsentes, postmodùm sunt iam præteritæ, & aliæ præsentes loco illarum. Omnes sumus morituri. Omnes sumus transituri ab angustà Regione Temporis ad Regnum amplissimum Æternitatis.

Et quid est mori? Mori est euerti, ac desinere esse compositum hoc ex corpore, & anima. mori est destrui, & in terram cadere hoc edificium. Mori est exilium perpetuum ab hoc Mundo vniuerso: & spoliatio vniuersalis ab omnibus bonis in eo æstimatis, Diuitijs, Voluptatibus, Delicijs, Honoribus, Officijs, Dignitatibus, & cæteris. Vndè sequitur, vt quantum ad hæc, quæ Mundus æstimat, Mors omnes nos faciat æquales. Quia, sicut in illum nudi ingredimur omnes: ita ex illo egredimur nudi. Vt quid ergo tanta cura, & diligentia in comparandis rebus, è quibus exuti, nudique sumus egressuri? Quænam esset Mercatoris dementia, qui cum magna expensà, & labore onerasset

ſuam nauim ijs mercibus, quas, certò ſciret, ſimul cum illà ſubmergendas in portu, ipſo ſolo & nudo exeunte, ex mari natando? Aut qui tranſiturus in aliud Regnum de monetà ſe prouideret, quæ nihil illuc valet? Maior eſt dementia mortalium, qui theſaurizant bona mox relinquenda, opes, honores, delitias, obliti operum bonorum; quæ ſolæ cum ipſis ad portum ſunt peruenturæ, & in Regnum ſpatioſiſſimum Æternitatis intraturæ.

Et quando ſumus morituri? A die natiuitatis incipimus mori: quandoquidem quotidie amittimus vnum vitæ diem. A carcere materni vteri eximus condemnati, pergimuſque ad patibulum mortis, non feſtinantes modò, ſed volantes celerrimis temporis alis. Inſanus eſſet ille, qui eductus è carcere, vt ſuſpenderetur in furca, ad breue illud iter poſtularet muſicas, ludos, conuiuia, & alias delicias, immemor termini, quò ibat. Inſaniores multò ſumus nos, ſi in ſimilibus oblectamentis perdimus tempus vitæ, immemores termini eius, ad quem properamus.

Præſertim, cùm tempus vitæ noſtræ tam breue ſit in ſe, & comparatum cum Æternitate, quæ nos poſt illud expectat, tam quaſi nullum. Nam quid ſunt centum anni, ad quos, vt ſummùm vita hominis poteſt extendi, ſi comparentur cum infinita multitudine millionum annorum, ex quibus Æteruitas componitur? Multo minùs quam momentum indiuiſibile

 tem-

temporis comparatum cum quouis numero annorum, quantumuis magno. Enimuerò duo extrema finita aliquam inter ſe proportionem, habent: extremum verò finitum cum infinito nullam. Vndè inferemus cum Apoſtolo. Quidquid in hoc mundo eſt ſeu boni, ſeu mali, nihili prorſus æſtimari debere: quia cito huius Mundi præterit phantaſtica figura.

Quòd ſi terminus vitæ noſtræ, cùm tam, propè ſit, foret certum, aliquam fortè excuſationem poſſemus obliuionis noſtræ prætexere. Sed non ita eſt. Nemo ſcit, quando, aut quomodò eſt moriturus: ſi hoc anno, vel ſequente, vel alio: ſi hoc menſe, aut hac ſeptimanà: Si morte prouisà, aut improuisà, prænotà, aut repentinà. Propterea Chriſtus Dominus in ſuo Euangelio toties, tamque diuerſis parabolis monet nos, vt ſemper ſimus vigilantes, & præparati ad mortem. Sicut Virgines, quæ expectant ſponſum, & neſciunt, qua hora eſt peruenturus. Sicut, qui nouit, ſuam domum vnà nocte à Latronibus inuadendam, neſcitque, qua, hora, & ideò vigilat in omnibus. Sicut, qui ob metum inimicorum excubias agunt in primà, ſecundà, & tertià vigilià noctis, ſymbolis noſtrarum trium ætatum, iuuentutis, maturitatis, & ſenectutis. Propterea etiam in Scripturà ſacrà admonemur. Quòd mors ſe gerit, vt fur, qui aggreditur furaturus, cùm minùs putabatur. Quòd ſe gerit, vt piſcator, qui hamo capit, & ex-

extrahit piſcem, quando ſecurus, & intrepidus cum alijs natabat. Et ſanè, ſi aliqua eſt in Mundo prudentia, in procurandà ſecuritate huius negotij, quod vnicè eſt neceſſarium, impendenda eſt. O cæcitas Mortalium, qui tanta ſolicitudine prouident, & præcauent pericula in alijs negotijs humanis, obliti periculi formidabilis, in quo viuunt, perdendi per improuiſam mortem negotium ſummum æternæ ſuæ ſaluationis!

Habet prætereà mors proprietatem aliam valdè timendam. Quòd ſcilicet vnica eſt, nec repeti poteſt: vnde error in ea commiſſus non eſt reparabilis: nam, vt ait Sapiens, vbicumq; ceciderit lignum, ſiue ad Auſtrum, ſiue ad Aquilonem, ibi erit. Eſt mors vltima ſors ludi, cui exponitur integra ſumma; quæ ſi perditur, omnia in æternum manent perdita. Eſt ſaltus, qui vt ſine diſcrimine fiat in foueam Inferni cadendi, à longè retro debet curſus incipere. Actiones difficiles, & inuſitatæ non ſolent primà vice bene ſuccedere, & ideò repetimus eas, vt corrigamus. Nulla actio magis inuſitata mihi, quàm mori, nec magis difficilis, quàm bene mori. Quomodò igitur non timeo ſucceſſum eius? Si homini, qui nunquam iaculatus eſſet in ſcopum, daretur ſpatium trium dierum, vt ſe in iaculando exerceret, dexterque fieret, eo pacto, vt, ſi poſt primo iactu ſcopum attingeret, creandus eſſet Rex, ſin minus, comburen-

dus

dus viuus. Certum eſt, quòd talis homo (niſi eſſet amens) in nihilo alio expenderet tale tempus, præterquàm in comparandà frequentibus actibus dexteritate iaculandi, ne poſtea iactu, qui ſibi tanti intererat, aberraret ab ſcopo. Tempus huius vitæ datur nobis, vt per exercitium mortificationis noſtrarum paſſionum dexteritatem comparemus iaculandi in ſcopum bonæ mortis; ita quòd, ſi primo iactu illum attingimus, Reges in æternum futuri ſumus Regni Cęleſtis: ſi verò ab illo aberramus, viui in æternum comburendi ſumus igne Infernali. Amentia erit perdere tempus, & non expendere totum moriendo, quantum fieri poteſt, in vità, vt ſcopum bene moriendi ſecurè attingamus in morte.

Secundum punctum erit conſiderare, quod ante mortem ſolet accidere. Quomodò augeſcit ægritudo cum ſuis accidentibus. Quomodò potentiæ omnes redduntur debiliores; atque adeò inhabiliores ad ſuas actiones, etiam connaturales, & valdè vſitatas: quid erit ad ſupernaturales parum vſitatas, & tunc tam neceſſarias? Ad quod accedunt impedimenta Medicorum, medicinarum, viſitationum, confectionis Teſtamenti, &c. Magna profectò amentia eſt, differre ad tempus tam impeditum tam difficile, tantique momenti negotium. Ecquis inter tot obſtacula, curas, ſollicitudines, & anxietates poterit ſcindere, ſarcire, conſuere, atque perficere

ve-

veſtem nuptialem neceſſariam ad intrandum in nuptias Cæleſtes. Innumeri haud dubie ſunt, qui in æternum pereunt, quòd differunt diſponi ad mortem ad extremos terminos vitæ.

Iam verò quando ęgrotus deſperatus à Medicis ſibi perſuadet, ſuam iam mortem eſſe vicinam: quis explicare poterit, quantis anguſtijs, angoribus, & afflictionibus crucietur? Nam ſi ſola memoria mortis tam amara eſt, vt Sapiens exaggerat: quàm amara erit mortis præſentia? Tunc angit primò vniuerſalis illa, violentaque Charorum omnium ſpoliatio: quia non relinquitur ſine dolore, quod tenebatur cum amore. Secundò angit recordatio vitæ præteritæ in peccatis, in vanitatibus, in obliuione Dei, & ſuæ ſaluationis. Tertiò angit recordatio tot mediorum facilium, tot occaſionum opportunarum, tot inſpirationum Dei, tot monitionum, ac exemplorum hominum: quæ omnia ſine fructu tranſiere. Quartò angit recordatio tanti temporis perditi, & tot horarum male inſumptarum: quarum vel vnica tunc expetitur, & non datur. Quintò angit incertitudo ſortis mox euenturæ, aut gloriæ æternæ cum Angelis, aut pęnæ æternæ cum Dæmonijs. Ad quod ipſorum Dæmoniorum accedit ſolicitudo. Qui, quo paſſu in vitâ laxant conſcientias, vt peccetur, eodem in morte ſtringunt, vt deſperetur; exaggerando grauitatem, ac multitudinem culparum, rigoremque Iuſtitiæ diuinæ.

Hæc

Hæc ſunt nonnulla ex ijs, quæ eueniunt in morte peccatoris. Nam mors Iuſti, & coram Deo pretioſa, & ipſi Iuſto ſuauis eſt, atq; expers omni angore. Non angitur peccatorum memoriā; quia tempeſtiuè illa lacrymis lauit. Non perditione temporis, occaſionum, inſpirationum, & monitionum; quia cuncta fecit ſibi proficua. Non timet iudicium; quia amat Iudicem: cuius charitas foras mittit timorem. In mea manu modò eſt, inter iſtas duas mortes eligere. Curabo deinceps totis viribus ſic iuſtè viuere, vt mors mea mors iuſti ſit.

Tertium punctum erit, conſiderare, quod euenit poſt mortem. Quomodò corpus relinquitur ſine animà fœdum, fętidum, quod omnes horrent, curantque ſtatim è domo eijcere, quantumuis dilectum eſſet, dum viueret. Sed qualiter ornant? Viliſſimà aliqua, iamque deſpectà veſte inuoluunt. Nec ob id quæritur, quantumuis magni Principis corpus ſit. Mox fertur ad illud anguſtum cubile, & lectulum durum. Vbi, vt ait Iſaias culcitræ ſunt tineæ, & operimentum vermes, cortinæ autem, & puluinaria ſunt oſſa aliorum mortuorum. Ibique ſepultum relinquitur in perpetua obliuione. En ſors, quę expectat hoc mei corporis ſterquilinium. Curabo modò illud ita tractare, vt non præcipitet animam.

Quæ ſtatim ac ſeparatur à corpore. Siſtitur ante Tribunal Chriſti, vt reddat rationem

om-

omnium ſuorum operum. Quæ adeò ſtrictè, & rigorosè exigenda eſt, vt ne minimum quidem verbum otioſum prætermittatur. Conſiderabo attentè proceſſum huius Iudicij, donec de eo in corde meo gignam timorem debitum. Qualem habuerunt magni Sancti; qui longè minorem, quàm ego, habebant cauſam timendi. Et, ſiquidem ſum certus, illud non longè à me diſtare; curabo enixè, vt deinceps omnes actiones meæ ſint tales, quæ poſſint in illo ſine meà verecundià, & confuſione comparere. Finemque Meditationi imponam Colloquium directum ad Chriſtum Dominum è Cruce pendentem, quo ab eo petam, vt per ſua merita pretioſiſſima mihi conferat gratiam, vt ita viuam, quod conſequar tandem bonam mortem, & fauorabilem ſententiam. Pater noſter.



Quis poterit cogitare diem aduentus eius. Malac

EXERCITIVM IV.
De Iudicio vniuerſali.

SVpponitur articulus Fidei, quo credimus, Chriſtum Dominum in extremo die huius Mundi deſcenſurum è Cœlo in Terram ad iudicandos viuos, & mortuos Iudicio vniuerſali. In quo oſtentationem facturus eſt ſuæ Rectitudinis, & Iuſtitiæ, manifeſtando omnibus Angelis, & hominibus ocultiores vias ſuæ diuinæ Prouidentiæ, vt videant omnes, quàm rectæ, & iuſtæ ſemper fuerunt, & ſunt, & erunt: & quomodò omnes, qui ſunt perditi, ſuà culpà ſunt perditi. Et quamuis ſit certum etiam ſecundùm Fidem, quòd Iudicium particulare, quo Chriſtus noſter Iudex vnumquemque hominum iudicat ſtatim, ac moritur, ſententiaque, quam de illo pronuntiat, ſeu ſaluationis, ſeu condemnationis æternæ, nullam ſortitura ſunt mutationem, aut variationem quoad ſubſtantiam in illo vniuerſali Iudicio: ſed vniuerſaliter, & pnblicè eſt de omnibus confirmandum id, quod particulatim, & ſecreto de ſingulis, cùm mortui fuerunt, iudicatum, atque decretum eſt. Nihilominus circumſtantiæ illius Iudicij finalis tales futuræ ſunt in illà die vltimà Mundi; tamque formidabilia cuncta, quæ in ea peragenda ſunt, vt magni nobis interſit, per otium, frequenter, & attentè illa conſiderare. Ad

quod ordinatur hoc Exercitium.

In quo Oratio præparatoria erit consueta. Compositio loci. Imaginari Theatrum amplissimum: in quo Actus generalis Inquisitionis celebratur. Petitio. Postulare à Deo gratiam ad ita viuendum, vt merear habere in illo Theatro, & bonum locum, & fauorabilem sententiam.

Primum punctum erit. Considerare id, quod narratur in Euangelio. Nimirum, quòd incurijs hominibus,& occupatis in suis negotijs: vti erant, cùm venit Diluuium tempore Noe, incipient alterari motus rotarum Orologij huius Vniuersi, scilicet Cęlorum, cum ingenti, & formidabili strepitu. Sol, & Luna obscurabuntur. Stellæ cadent de Cęlo. Elementa, quæ sunt velut quatuor humores corporis huius Mundi, inquietabuntur, & turbabuntur, sicut inquietari, & turbari solent quatuor humores humani corporis, quando est morti propinquum. Erunt in aere tempestates furiosæ cum fulguribus, tonitruis, atque fulminibus tremendis, adeòque validis ventis, vt montes transferant. Mugiet terribiliter Mare: transgrediensque suos limites, loca circumuicina submerget. Terra ita vehementibus terremotibus concutietur, vt vrbes integræ subruantur. Animalia pauida current ad homines pro refugio. Et homines præ timore arescentes current pro eodem ad specus animalium.

Ge-

Geret ſe Deus in illà die ſicut homo zelotypus, & honoratus. Qui redux ex abſentiâ longâ reperit, quòd ſibi ſua vxor non fuit fidelis. Nec in eam tantùm ſuam emouet iram, ſed etiam in vtenſilia cuncta, quæ ſuæ iniuriæ inſtrumenta fuerunt, confringens, deſtruens, & cremans illa. Sic Deus non tantum contra peccatores, ſed etiam contra cæteras creaturas, quibus ij ſunt vſi ad peccandum, ſuam tunc exercebit indignationem.

Iſta eſt illa dies, quæ appellatur à Prophetis dies tribulationis, & anguſtiæ; dies calamitatis, & miſeriæ; dies tenebrarum, & caliginis; dies nebulæ, & turbinis; dies tubę, & clangoris. Demum dies Domini magna. Cæteræ dies ſunt dies hominum: quippe qui eas impendunt ſecundùm beneplacitum ſuum. At illa dies erit Dei, in qua aperiendum eſt immenſum ſtagnum infinitæ patientiæ eius, vt inde ſummo impetu exeat rapidus torrens iræ diuinæ, quam ibi eouſque theſaurizarunt peccatores, vt inquit Apoſtolus, ad eos cum omnibus ſuis rebus inundandos, & obruendos. Timeamus nunc illum, ne tunc cum reprobis ſuis fluctibus obuoluamur.

Poſt hactenus commemorata mittet Deus ignem illum, de quo Scriptura ſacra loquitur varijs in locis. Quo totus globus huius Mundi circumquaque operietur; ſicut opertus eſt aquà, cum fuit immerſus Diluuio vniuerſali. Vnde

breuiſſimo tempore cuncta, quæ in eo tunc erunt, comburentur, & in cinerem conuertentur. Campi cum ſuis arboribus, & herbis. Ædificia cum ſuis vtenſilibus,& diuitijs. Et cum ijs omnes homines, qui vixerint tunc. Cùm igitur hęc omnia diſſoluenda ſint (concludit,S.Petrus) quales, oportet, vos eſſe in ſanctis conuerſationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in aduentum diei Domini?

Secundum punctum erit, conſiderare, quomodò, purgato iam Mundo per ignem, audietur vbique Tuba illa ſonora, cuius Scriptura meminit. Et vox illa Angeli annuntians vniuerſalem Reſurrectionem, dicendo. Surgite mortui, venite ad Iudicium. Mox cineres cum materijs primis omnium corporum hominum congregabuntur miniſterio Angelorum in Valle Ioſaphat, vbi futurum eſt Iudicium, & ibi virtute diuinà ex eis formabuntur denuo corpora eadem: pariterque adducentur animæ vndecumque fuerint, vt vnaquæque in ſuum corpus introducatur.

Hìc ponderabo, quo horrore anima Damnati ſuum corpus aſpiciet, & quod colloquium cum eo habebit. Veni, inquiet, maledicte. Nam, ſiquidem ego damnata ſum; quia conſenſi tuis appetitibus beſtialibus, iuſtum eſt, vt ſis particeps pœnæ, qua proportione fuiſti particeps culpæ. Tu ſis maledicta, poterit corpus reſpondere. Nam, cùm eſſes libera, & domina,

na, posfesque me refrænare fræno rationis, id non præstitisti. Eamus igitur ad patiendum. Nam quò tua augeatur pœna, ego meam partem tolerabo. E contra verò anima Prædestinati cum quo gaudio intrabit in corpus suum: & quàm dulciter colloquetur cum illo? Vnitis animabus corporibus suis, corpora Damnatorum fœdissima, & horribilia euadent. Prædestinatorum verò pulcherrima, & gratiosissima: onorataque insuper quatuor dotibus gloriæ, Claritate, Impassibilitate, Subtilitate, & Agilitate. Vna ex his sortibus est mihi necessariò obuentura. Et modò est in potestate meà eligere fœlicem.

Post hæc secundùm Scripturas Angeli separabunt malos de medio iustorum; & illis pondere suo hærentibus in terrà, hi suà agilitate rapientur obuiam Christo in aera. Ponderabo diuersitatem affectuum vtrorumque, in statibus tam diuersis, dolorem, & iuuidiam malorum; gaudiumque, & lætitiam iustorum. Iterumque supra me reflectens, & certa fide credens, me futurum ex alterutrà earum classium, curabo ità viuere nunc, vt sim ex bonà tunc.

Tertium punctum. Rebus ita dispositis, aperientur Cęli, & descendet Filius Dei cum potestate magna, & maiestate, & omnes Angeli cum eo. (Quos, valde est probabile, assumpturos illà die pulcherrima corpora, vt cunctis homi-

minibus fiant visibiles) Eorumque speciosissimum comitatum præcedet tanquam vexillum Crux Redemptoris. Ad cuius aspectum omnes plangent, vt dicit Euangelium. Mali quidem prę dolore, & angustià, videntes se in tam misero statu; quia fugerunt ab illà. Boni autem præ deuotione, & gaudio, videntes se in tam glorioso; quia illam amplexi sunt. Ita Rex Gloriæ in Terram descendet; non vt primà vice factus puer, brachijs ligatis vilibus fascijs: sed factus Leo Iuda, districtum gladium portans Iustitiæ suæ in manu suæ Omnipotentiæ. Non tanquam mitis Pastor quærens ouem amissam. vt eam ferret in humeris; sed tanquam rigorosus Iudex condemnans illam, vt tradat Lupis infernalibus.

Qui accedens ad Terram in conueniente distantià ab illà suum figet Tribunal ex nube candida formatum, vt illud vidit S.Ioannes. Ad cuius latus dextrum collocabit suam Sanctissimam Matrem: ad sinistrum autem Apostolos, & alios viros Apostolicos, qui, relictis omnibus, sequuti sunt eum in paupertate, castitate, & obedientia, vt ipsum veluti Assessores ad alios iudicandum iuuent: vti eis promisit in suo Euãgelio. Quàm erit tunc honorata virtus: & quàm despecta vitia!

Quartum punctum erit, aspicere, quomodò aperientur libri illi, quos etiam vidit S.Ionnes, in quibus omnia opera bona, & mala omnium

Iudicandorum ſcripta apparebunt. Per hos libros repræſentantur conſcientiæ omnium: quæ tunc diuinà virtute omnibus ita patefient, vt vnuſquiſque omnia opera bona, & mala facta in hoc Mundo tum à ſe tum ab alijs clariſſimè cernat. Quale tunc dedecus, qualem ignominiam, & confuſionem patientur Mali; cùm videant cunctis manifeſta omnia ſua, quantumuis occulta, peccata? E contra verò quali decore, quàli honore, & lætitia afficientur Boni; cùm videant pariter cunctis conſpicua omnia ſua opera honeſta? Quandoquidem ſolus eſt verus honor, qui ex virtute, & ſolum dedecus verum; quod ex vitio capitur: & ibi omnia ſunt apparitura, & æſtimanda, vt verè ſunt.

Mox Iudex affabili, beneuoloque aſpectu ad ſuos ſe Prædeſtinatos conuertet, & eis gratias agens pro omnibus, quæ propter ipſum in hoc Mundo, & operati, & paſſi ſunt, debitum eis conferet præmium illis verbis dulciſſimis Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione Mundi. Quam in ipſis gignet lætitiam hæc ſententia? Quam mutuam gratulationem? Quos mutuos amplexus? Quam erga ſuum Iudicem gratitudinem? Hæc profundà ſunt potiùs conſideratione æſtimanda, quàm verbis exponenda.


Poſtea reuerſus Iudex ad Reprobos, & arguens eos Chriſtianos præſertim, obijciet, quanta pro illis egit; & quàm malè ipſi rependerunt.

Quomodò creauit eos ex nihilo, & ordinauit ad ſublimiſsimum, non minùs, quàm Gloriæ ſuæ, finem. Quomodò, vt illam eis lucraretur, factus eſt homo, & ſuam prætioſiſsimam vitam cum morte acerbiſsima commutauit. Quot media eis præbuit, vt illam ipſi ſuis meritis compararent; Sacramenta, Doctrinam, Exhortationes, Exempla, Auxilia, inſpirationes, &c. Totumque perdiderunt, vt ſuis paſsionibus inordinatis obedirent, dando re ipsà plus fidei Dæmoni ſuo inimico; quàm ſuo Redemptori, ac Patri amantiſsimo. His cuncti manebunt conuicti: nec quidquam poterunt reſpondere. Statimque Iudex indignabundus vultu adeò ſeuero, vt faciat tremere Cęlum, & Terram, proijciet ex ore, vti Daniel vidit, illud flumen ignis, illam ſcilicet ſententiam finalem, & ſine appellatione. Diſcedite à me Maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Quàm dirum, quàm penetrans hoc telum erit ab Omnipotentià Dei iaculatum in ea corda carnalia? Quomodò ſentient? Quomodò ſufferent? Quid dicent? Illud Sapientiæ. Ergo errauimus a vià veritatis, & iuſtitiæ lumen non illuxit nobis, &c.

Illico pro exequendà ſententià, quemadmodum hìc Damnati ab Inquiſitione traduntur Brachio ſæculari: ita ibi Damnati à Iudice diuino tradentur Dæmonibus, vt veluti famelici Lupi pro ſuo iam beneplacito cibentur il-

lis ouibus perditis. Quas aduncis igneis trahent ad foramina, quæ facta erunt in terrà; per eaque illas præcipitabunt in Infernum, ac tandem ſimul cum illis ſeſe proijcient in illum tetrum carcerem: claudenturque illæ ianuæ, ac ſigillatæ decreto Dei manebunt in æternum, iam numquam amplius aperiendæ. O peccata quàm longos funes malorum texuiſtis! O creaturæ infelicisſimæ creatæ ad tanta mala! Hic demum conſiderabo, quomodo ex his duabus ſortibus altera mihi neceſſariò obuentura eſt: curaboque iam, nullà morà interpoſità, totis meis viribus ita viuere, vt mihi obueniat bona. Quam, & à Chriſto Domino toto meo conatu petam, facto Colloquio. Pater noſter.

* * *





Quis habitabit ex uobis cũ ardorib⁹ sẽpiternis. Is. 33

EXERCITIVM V.
De Inferno.

DEſcendant in Infernum (dicit Bernardus) conſideratione viuentes; ne ipsà re deſcendant morientes. Quia nihil eſt, quod ſic refrænet mortales, ne ſe præcipitent in culpas; vti conſideratio pęnarum, quibus ſe exponunt propter illas. Id igitur in hoc Exercitio agendum nobis eſt.

In quo Oratio præparatoria erit ſolita. Compoſitio loci. Magna concauitas mente conſpecta, quæ reuera eſt in centro Mundi, plena igne ſulphuris, quo Damnati ſubmerſi ſunt vti in profundo maris piſces ſubmerſi ſunt aquà. Petitio autem. Poſtulare à Deo viuidum cadendi in eum locum timorem; vt quando à cadendo in peccatum non me deterreat amor, deterreat ſaltem timor.

In primo puncto conſiderabo pœnam Damni, quæ conſiſtit in priuatione Gloriæ, qua Damnati carent. Et, vt docet S.Thomas, eſt pænà infinita: quia priuat bono infinito, quale Deus eſt, & poſſeſsione, qua ipſum poſsident Beati. Vnde ait Chryſoſtomus, mille ignes Inferni ſimul iunctos non fore tantæ pœnæ Damnatis, quantæ eſt priuatio Dei. Quoniam Deus eſt centrum animæ, ad quem ea habet poſt hanc vitam inclinationem incomparabiliter ma-

maiorem, quàm habent cæteræ res ad suum, centrum, & membra eiusdem corporis ad mutuam vnionem. Atque ita non potest non illa, pati violentiam, ac dolorem de sui à tali centro æternà auulsione incomparabiliter maiorem, quàm patiuntur membra eiusdem corporis, quando ab se inuicem auelluntur: & quam paterentur saxum magnum, & ignis, si sensum haberent, quando violenter impediuntur, ne ad sua centra perueniant. Quòd si in hac vità tam ægrè ferre solent homines inexpectatam, iacturam alicuius magni boni temporalis, in, quod tendebant: qualiter ferent Damnati iacturam irremediabilem summi, & æterni Boni, ad cuius amabilissimam possessionem creati fuerant?

Ad hanc pœnam damni pertinent etiam, ignominiosum exilium, quo Damnatus mittetur exul in perpetuum à Patria Cœlesti amabilissima ad Infernalem regionem horribilissimam. Infamia, qua per totam Æternitatem à consortio Ciuium Cœlestium tanquam excommunicatus, & maledictus separatus manebit. Commutatio æterna conuiuiorum, dulcissimæque saturitatis, ac cæterarum delitiarum gloriæ cum fame, sitique insatiabili, ac cæteris tormentis Inferni. Demum inuidia, quam habebit de, immenso cumulo bonorum, quo fruuntur Beati, & ipse pariter consequi potuit, suàque culpà amisit. Quæ omnes acerbissimæ pœnæ erunt.

Secundum punctum erit de pœnis, quas Damnatus passurus est à loco, in quo est exiturus, & à consortio cæterorum habitatorum eius. Qui quidem locus velut stagnum est igne sulphuris plenum, vt dicitur in Apocalypsi; cuius crudelis potentia, vt ait Augustinus, nullis verbis exprimi potest. Comburit enim, & non lucet; cremat, & non consumit; penetrat intimè animam, & corpus Damnati; habens de igne totum, quod pœnam, & nihil, quod leuamen inducit. Præter tormentum autem huiusmodi ignis, & fumi intolerabilis eius (quod solum esset satis) tot insuper alia erunt in eo formidabili loco, vt sacra Scriptura ad illa significanda dicat, fore in Inferno famem, sitim, planctum, stridorem dentium, gladium vtrimque acutum, spiritus tempestatum, vermes; serpentes, scorpiones, malleos, absinthium amarum, aquam fellis, &c. En Domicilium. En Palatia magnifica, quæ Deus præparata habet pro illis quorum superbiæ non sat fuit Mundus, & quorum impietas non habuit finem. Vbi, vt ait Isaias, nec deerit nutrimentum ignis, nec flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eum.

Iam verò habitatores eius loci, qui, & quales erunt? Dęmones inprimis hominum sæuissimi hostes, & ibi carnifices cruentissimi: qui varijs tormentorum generibus illos cruciabunt, satiantes desideria famelica, quibus semper il-

lo-

lorum mala desiderarunt, & in hac vitâ suis tentationibus enixè procurarunt. Erunt deinde alij damnati vicissim sui ipsorum carnifices, quatenus sese vicissim varijs modis vexabunt, propter ingens odium, quo sese vicissim prosequentur. Ibi enim, perditis legibus rationis, nec erit filius pro patre, nec pater pro filio, nec frater pro fratre, nec amicus pro amico: cùm potiùs ibi motiua futura sint odij, quæ hic fuerant amoris, præsertim inter illos, qui consortes fuerunt in culpis. Quòd si hìc tam intolerabile est, habitare simul in eàdem domo ad breue tempus cum aliquibus, quibus cum mutuum odium habemus; quàm intolerabile erit, habitare cum tam multis in eodem Inferno ad infinibilem æternitatem? O locus miseriæ, & tenebrarum: vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat! vt dicitur in Iob. Quis habitare in te non timet?

In tertio puncto discurrendum est per tormenta, quæ Damnati passuri sunt in singulis sensibus corporis, & potentijs animæ, quæ velut instrumenta fuerunt suorum peccatorum. Nam vt dicitur Sapient. 11. Per quæ peccat quis, per hæc, & torquetur.

Sensus visus torquebitur luce illa malignà ignis Infernalis. Quæ, vt ait Gregorius, cùm inepta sit ad præbendum solatium, sufficiens erit ad videndum, quæ præbebunt horrorem; figuras scilicet, quas Demonia assument Leonum,

num, Tigrium, Vrſorum, Serpentum, Draconum, aliarumque ignearum beſtiarum: fędiſsima iamtum omnia corpora Damnatorum: & alia, quæ in eo carcere teterrimo erunt horribiliſsima.

Auditus torquebitur continuo illo Infernalium Malleatorum ſtrepitu: rabioſis fletibus, planctis, lamentis, clamoribuſque Damnatorum: querelis, blasfemijs, maledictionibus: alijſque ingratiſsimis, ac inordinatiſsimis ſonibus. O prorſus horrenda, atque formidanda confuſio!

Olfactus torquebitur intolerabili fœtore tanti ignis, & fumi ſulphuris: fœtore horribili tot corporum Damnatorum, qui totidem canum mortuorum fętore longè grauior erit; eorumque ſtrictè coniunctorum in loco nullam habente reſpirationem.

Guſtus torquebitur perpetuà fame, ſitique rabioſà, in quarum leuamen dabitur miſeris Damnatis pro cybo abſynthium, pro potu autem aqua fellis, vt dicitur à Ieremia; alijque cibi, & potus abominabiles, & horribiles à Dæmonibus adinuenti ad illos vexandos.

Tactus, qui in toto corpore reſidet, torquebitur ab igne illo ſulphureo, quo Damnatus totus ſubmerſus erit. O amens peccator! Si hìc non potes ſufferre, vt vel vnum digitum tuum tangat flamma lucernæ per breue tempus; quomodò ibi ſufferes, vt te totum à capite ad pedes tangat flamma Inferni, tanto cru-

de-

delior, per integram æternitatem ? Accedent alia tormenta, quibus Demonia Tactum cruciabunt, flagrorum, gladiorum, rotarum, &c.

Senſus internus torquebitur vehemente appræhænſione dolorum, quæ fixa in illis grauiores faciet; triſtiſsimiſque, & horribilibus phantaſmatibus, quæ ſemper imaginabitur, & in ſeſe reuoluet. Appetitus ſenſitiuus erit mare quoddam tempeſtuoſum deſideriorum non implendorum, mȩrorum, afflictionum, & anguſtiarum. Intellectus erit plenus erroribus; hebes pro cæteris, & ſolùm perſpicax ad percipiendam magnitudinem tum pȩnæ Inferni ſuſceptæ iam, & nunquam finiendæ, tum gloriæ Cȩli amiſſæ iam, & nunquam recuperandæ. Voluntas erit obſtinata in malo: anxia ſemper pro bonis, quæ non poteſt conſequi, & à malis, quæ non poteſt vitare: atque ita prorumpens in iram, impatientiam, furorem, & deſperationem. Luitur enim ibi deſperatione æternà temeraria ſpes Peccatorum. Nemo peccet ſubnixus ſpe obtinendi veniam: nam ſpes hæc tenet Infernum Damnatis plenum.

Memoria, etſi alijs potentijs ſimplicior ſit, erit origc maioris Damnatorum pȩnæ: ſiquidem in eà gignendus, nutriendus, & fouendus eſt edax ille conſcientiæ vermis, de quo dicit Scriptura ſacra, quòd non morietur. Eſtqne pœnitudo quædam rabioſa, deſperata, & infructuoſa, quam ſemper habebunt Damnati; memo-

mores temporis præteriti, opportunitatumque, & occaſionum, quas in illo habuerunt ad præcauenda immenſa mala, quæ patiuntur, & acquirenda bona infinita, quæ amiſerunt: quomodò habuerunt id in manu, & libertate ſua; quàm facile exequi,& obtinere potuerunt, & ſuà culpà omiſerunt, & neglexerunt; quomodò iam præterijt occaſio, & iterum ampliùs nunquam redibit. Hic erit dolor, qui continuò corda illorum diſcerpet tantà crudelitate, quanta ne mente quidem comprehendi, nedum verbis exprimi poteſt.

Quartum punctum erit conſiderare, quomodò omnia commemorata tormenta, nec finem, nec leuamen, nec interruptionem ſunt habitura. Non ſunt habitura finem: quia ſunt æterna; atque adeò tandiu duratura, quandiu Deus eſt duraturus. Nam vt Gregorius dixit. In Gehenna miſeris erit mors ſine morte, & finis ſine fine: quia mors ſemper viuit, & finis ſemper incipit. O miſer ſtatus! In quo maius eſſet præmium, quod hìc maior pena eſt maioris delicti,nempe mori, & deſinere eſſe. Quod anxiè optabunt ſemper Damnati, & nunquam obtinebunt, prout dicitur in Apocalypſi. Quia ij ſunt æterni, carcer eſt æternus, ignis eſt æternus; carnifices ſunt æterni, & decretum Dei de illorum cruciatu æterno eſt æternum. O Eternitas, quis non te timet!

Verùm, vt Æternitatis, quæ verbo vnico

profertur, aliquem formemus conceptum, extendamus imaginationem ad cogitandum quosuis numeros finitos annorum maiores, & maiores, deprædendemusque, post eos omnes iam præteritos, adhuc integram æternitatem superesse. Tot milliones annorum, patiente semper Damnato, sunt transituri, quot aquæ guttæ à Mundi initio ceciderunt in terram; & vsque ad finem cadent, vnà cum ijs, quæ componunt omnia flumina, & maria. Tot, quot fuerunt, & erunt folia in omnibus arboribus, & herbis Mundi. Tot, quot atomi sufficientes essent ad replendam, & solidandam totam spheram Firmamenti. Tot denique, quot numerari possent omnibus characteribus implentibus chartam, quæ impleret totam ipsam spheram. Et post tot, tantosque numeros annorum transactos tormenta Damnati sunt incæptura, ac si esset eorum prima dies (quia adhuc ex tunc futura æternitas manebit integra). Idque sine leuamine vllo, sine vlla iuterruptione. Quia tormenta illa nec tempore inueterascunt, nec vsu minuuntur, nec consuetudine mitescunt. Quis igitur per tam æternam durationem tam immutabilem continuationem tam horribilium malorum sufferre poterit?

Ex omnibus dictis in hoc Exercitio concluditur cum omni euidentià, damnationem hominis ad Infernum rem esse adeò horribilem, adeò formidabilem, & adeò tremendam,

vt,

vt, licèt vnicus tantùm hominum fuiſſet damnandus, omnes deberemus viuere continuo cum pauore, & tremore tam infœlicis ſortis. Cùm igitur tot ſint, qui damnantur, vt dixerit Sapiens, Stultorum (quales ſunt damnandi) infinitum eſſe numerum. Et Chriſtus Veritas æterna ſcriptum reliquerit nobis in ſuo Euangelio. Quòd arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Quod vocati multi ſunt, pauci verò electi. Quòd grex Electorum eſt puſillus comparatione mulitudinis Reproborum. Et omnes ad vnum viuamus inter innumera pericula noſtræ condemnationis. Quomodò non timemus? Quomodò non tremore continuo diu, noctuque concutimur? Quomodo nos ſolicitudo continua de noſtrà ſorte æternà non angit? Deus per ſuam miſericordiam nobis aperiat oculos, & ſuo ſancto timore corda configat. Pater noſter. Hucuſque Exercitia primæ Hebdomadæ S.P.Ignatij.





Exeamꝰ ad eũ extrà castra impropiũ eiꝰ portantes. Hebr.

EXERCITIVM VI.
De Expugnaticne Regni Chriſti.

QVemadmodùm Deus miſit Moyſem in Ægyptum non tantùm, vt liberaret Populum Iſrael à captiuitate Pharaonis, redimendo illum tot prodigijs; ſed etiam, vt ſua doctrinà, & exemplo duceret ipſum per deſertum Paleſtinæ ad Terram promiſſam. Ita miſit Vnigenitum ſuum Filium Chriſtum Ieſum in hunc Mundum non tantùm, vu liberaret homines à captiuitate Satanæ, redimendo illos ſuo ſanguine, & morte prodigiosà; ſed etiam, vt ſuà doctrinà,& exemplo duceret ipſos per deſertum huius vitæ ad Cęlum promiſſum. Ad meliùſque peragendum hoc iter inſpirauit S.Ignatio hæc Exercitia.Nam in primà eorum Hebdomadà, quę correſpondet Viæ purgatiuæ, docemur, quomodo liberandi ſumus à captiuitate Satanæ medià verà pœnitentià peccatorum noſtrorum. In ſecunda autem, & tertià, (quæ correſpondent Viæ illuminatiuæ, quomodò ambulare debemus, ſequentes Chriſtum ad conſequendam in hac vità vnionem cum Deo, (de qua agitur in quartà Hebdomadà correſpondente Vię vnitiuæ,) & in alterà cum magnis augmentis Gloriam æternam nobis promiſſam.

Accedentes igitur ad ſecundam Hebdomadam, in hoc Exercitio reducemus ad quatuor

puncta quatuor meditationes, quas S.Ignatius inter aliàs de vita Christi posuit in illà. Et sunt veluti nerui, siue tota substantia eius.

Oratio præparatoria erit, quæ semper. Compositio loci. Considerare Christum D. in tribus annis vltimis vitæ suæ prædicantem per Ciuitates, Castella, & Sinagogas, docentemque omnes viam Cœli verbo, & exemplo. Petitio autem erit. Vt ego suam vocationem audiam, promptèque sequar, & perfectè imiter ipsum.

In primo puncto. Primò concipiendus est Rex temporalis electus à Deo, (cui Christiani omnes obediunt) præditus omnibus prærogatiuis, & dotibus, quæ excogitari possunt: sapiens, prudens, fortis, magnanimus, opulentus, liberalis, amator Subditorum, & qui non propria, sed eorum bona optat, & quærit. Qui quidem omnibus ad suam præsentiam vocatis ita loquitur. Subditi mei Ego decreui omnibus Infidelibus bellum inferre, vt eos ad Ecclesiam traham. In qua expeditione vellem, vt omnes me sequamini. Supponendo, quòd ante omnes Ego futurus sum primus in sufferendis belli incommodis in itineribus, in laboribus, in noctis vigilijs, & diei ardoribus, in fame, & siti, tamdemq; in inuadendis hostibus, & eorum ictibus sustinendis. Et tamen ex victoriarum spolijs, quæ multa erunt, nihil mihi volo, omnia inter vos sunt diuidenda: eòque maiorem quisque partem accipiet, quò propiùs me comitatus,

tatus, atque imitatus fuerit. Quid æquum esset, vt responderent boni subditi ad talem talis Regis propositionem? Omnes haud dubie ad illum in tam gloriosà expeditione sequendum, promptissimo animo se offerrent. Quod si quis non faceret, iure à cæteris vt peruersus, infamisque vituperaretur.

Ad similitudinem eiusmodi Regis temporalis considerandus est nobis Rex æternus Christus D. Filius Dei vnigenitus, atque adeò ipsi consubstantialis, æqualisque in omnibus attributis. Qui descendit de Cœlis ad expugnandum hominibus Regnum æternum gloriæ, conuocans omnes, vt ipsum in hoc bello sequantur, & imitentur: volens ipsemet esse primus in sufferendis pugnæ laboribus, & excipiendis aduersariorum telis: nec tamen quid quam sibi volens assumere de victoriæ spolijs; sed, vt omnia inter suos fideles milites cum proportione distribuantur, iuxta vniuscuiusque maiorem, aut minorem fidelitatem, strenuitatemque in dimicando. Quis igitur Christianorum non sese promptissimè offeret ad dimicandum cum Christo in prælio tam glorioso, & proficuo? Nullus profectò, qui polleat iudicio, ac ratione. Si enim tam irrationabile, tamque vituperabile esset, non sequi Regem illum temporalem in expugnatione Regni terreni parui momenti, & citò amittendi; quàm irrationabile erit, non sequi Regem hunc æternum

in expugnatione Regni Cœleſtis ſummi momenti, & ſine fine poſſidendi? Quò argumento cunuictus firmum propoſitum concipiam ſequendi, & imitandi Chriſtum quam propiùs, & perfectiùs poſſim. Quod fructus huius puncti eſt.

Secundum punctum erit. Conſiderare duos Duces interſe oppoſitos omnino, Luciferum, & Chriſtum: & quòd vnuſquiſque vocat homines, vt ſub vexillo ſuo militent. Luciferum conſiderabo in Campo Babiloniæ, quæ ſignificat confuſionem, ſuper magnam cathedram ignis, cum horribili, & formidabili figurà ex ſe emittentem circumquaque ſcintillas, & fumum. Et quòd turbatà, immoderatàque voce conuocat omnes Dæmones: & dicit illis. Milites mei voluntas mea, eſt vt omnes homines trahamus ad noſtrum Regnum. Quare diſpergimini per vniuerſum Mundum, tenditeque vbique retia, & laqueos ad eos capiendos. Nec relinquatis vllum, quem non tentetis. Primò medià cupiditate, & appetitu diuitiarum. Secundò media ambitione, & appetitu honorum. Tertiò medià ſuperbia vitę. Vnde eos deijcietis in Luxuriam, & alia vitia.

E contra conſiderabo Chriſtum Dominum in Campo Hieruſalem, quæ ſignificat viſionem pacis, in loco humili, cum facie affabili, & beneuolà. Et quòd voce leni, & ſuaui conuocat omnes ſuos Chriſtianos, & dicit illis, vt

eant in vniuerſum Mundum , hortenturque omnes ad contraria eis, ad quæ Dæmones exhortant . Nimirum ad contemptum diuitiarum, & amorem paupertatis. Ad contemptum honorum,& amorem ignominiæ. Ad humilitatẽ cordis. Indeque ad odium delectationum carnis, cæteraſque virtutes.

Per hanc conſiderationem primò manifeſtantur hoſtes, cum quibus gerendum nobis eſt hoc bellum; in quo Regem noſtrum Chriſtum debemus ſequi,& imitari. Qui quidem non ſunt alij,quàm inordinati noſtri appetitus diuitiarũ, honorum, & voluptatum. Quanquam enim tres recenſentur inimici animæ noſtræ, Mundus,Dæmon,& Caro; Mundus tamen, & Dæmon non alijs armis militant contra nos, quàm noſtrorum appetituum carnalium, diuitiarum, honorum, & voluptatum. Quibus proinde debellatis, omnes inimici noſtri ſubiacent debellati.

Secundò deteguntur duæ regulæ diſcernendi ſpiritus, quas poſtea poſuit S.Ignatius inter alias: per quas noſcemus, à quo ſpiritu naſcitur motus internus, quem ſentit anima. Si enim venit cum inquietudine, turbatione, & obſcuritate,ſignum eſt, quòd à malo ſpiritu naſcitur. Id enim ſignificant illa inquietudo, turbatio, & fumus, cum quibus in illà cathedrà ignis conſiderauimus Luciferum. Si verò è contra venit cum tranquillitate,pace, ſuauitate, & luce interiore, ſignum eſt, quod naſcitur à bono ſpi-

 ri-

ritu, ſignificato per aſpectum pacificum, affabilem, & beneuolum, cum quo conſiderauimus Chriſtum. Similiter, ſi motus internus inclinat nos ad bona terrena, diuitias, honores, & voluptates, à malo ſpiritu ducit originem. Sicut è contra à bono, quando inclinat nos ad contemptum bonorum terreſtrium, æſtimationemque Cęleſtium, & virtutum, quibus illa obtinentur.

Modò, quandoquidem ſum Chriſtianus, atque adeò miles per Baptiſmum ſub vexillo Chriſti aſſignatus, reſpiciens retro examinabo, quomodò ad eius imitationem pro Cœlo expugnando dimicaui contra eos hoſtes, contra quos agitur hoc bellum, meos ſcilicet inordinatos appetitus opum, honorum, & voluptatum? Quomodò obſeruaui leges militiæ? Nimirum, nunquam pauidus retrocedendo; ſemper impauidus vnus è primis impetendo aduerſarios; & horum me telis exponendo, vt meum ab illis Regem defenderem. O quantum hic reperiam, ob quod confundar! Quantum, ob quod iure timeam, nihil me de ſpolijs victoriæ habiturum, ſed eorum loco grauem infamiam, & ſupplicium! Si enim in bello temporali dignus eſſet graui ſupplicio, & ignominià miles ille, qui tempore inuadendi inimicum verteret terga, & fugeret, & multo magis, qui vice defendendi ſuum Regem, in ipſum converteret arma, ad caſtra inimici ſe recipiens. Ego, qui

in

in hac ſpirituali militià toties terga verti, & ab inimicorum meorum prælio fugi, quoties morem geſſi meis appetitibus opum, honorum, & voluptatum: & toties in Regem meum arma conuerti, quoties eis obſequens peccaui. Quid ſpero? Qua cum facie accedam ad tremendum Tribunal mei Regis, & Iudicis, quando diuidentur ſpolia victoriæ, (quod fit in hora mortis) petens mihi partem eorum: cùm ſciam iam eſſe pronunciatum à Paulo. Non coronabitur niſi qui legitimè certauerit. Hoc eſt, obſeruando leges Militiæ?

In tertio puncto. Conſiderabo tres claſſes hominum, ſiue tres homines. Qui omnes) poſt acquiſita decem millia ducatorum à ſingulis) deſiderant ſaluari, & pacem animæ reperire, ſublato inordinato affectu pecuniæ acquiſitæ. Sed cum hoc diſcrimine. Quòd primus ad talem finem media neceſſaria non ponit, ſed differt de die in diem vſque ad mortem. Secundus ponit quidem aliqua media, determinatus tamen ſemper ad non relinquendum ſuam pecuniam, ſed ſeruiendum Deo cum illà. Tertius eſt indifferens ad ſuam pecuniam relinquendam, vel retinendam, prout intellexerit fore maius ſeruitium Dei. Ex his primus in periculo viuit non conſequendi finem ex defectu mediorum. Secundus debitum ordinem peruertit, volens, vt finis ſe accommodet medijs, & non è conuerſo. Tertius habet diſpoſitionem

de

debitam. Et hunc debeo imitari, ſi volo à me tollere inordinatum affectum cuiuſuis boni temporalis, reducens me ad totalem differentiam illud aſſumendi, vel relinquendi, prout iudicauero, magis expediens fore ad Dei obſequium, & mei vltimi finis conſecutionem.

Quartum punctum erit. Conſiderare tres gradus humilitatis, ſiue tres ſtatus virtutis. Primus eſt eorum, qui nec propter omnia, quæ ſunt in Mundo, nec propter propriam vitam committent vel vnicum peccatum mortale. Secundus eſt eorum, qui ad tantam ſunt iam reducti indifferentiam habendi, vel non habendi quodlibet bonum temporale, vt propter nullum, etiam vitam propriam, cum aduertentià committent vllum peccatum veniale. Tertius, includens alios duos eorum eſt, qui parem gloriam Dei intuentes in alterutro extremo, ad maiorem imitationem Chriſti eligunt potiùs paupertatem, quàm diuitias, potiùs contemptum, quàm honorem, potiùs dolores, quàm voluptates. Hic eſt gradus ſummus perfectionis, ad quem per puncta huius Exercitij gradatim nos docet aſcendere S. Ignatius. Qui tandem monet, ad talem aſcenſum valde adiuuare, ſi in quouis caſu dubiæ electionis enixè petamus à Deo, vt diſponat nobis illud extremum, quod noſtræ ſenſualitati magis contrarium eſt; vti ſunt paupertas, ignominiæ, dolores, & aliæ pœnalitates, quibus magis aſſimilemur Chriſto D.

eius

eius vestes, & insignia induentes: quandoquidem illa ipse propter maiorem profectum nostrum spiritualem induit; nobisque exemplum dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, eum imitari,& sequi velimus: cùm vera sit via, quæ ducit homines ad vitam. Hìc sunt facienda tria colloquia. Primum cum Sanctissimà Virgine petendo, vt impetret nobis perfectam sui Filij imitationem; secundū cum Filio;& tertium cum Patre, petendo vt eam nobis concedant. Quæ suo ordine cum Aue Maria, Anima Christi, & Pater noster, terminabuntur.

Ad extremum huius Exercitij oportet aduertere. quatuor eius puncta, quo ordine disposita sunt, velut totidem gradus esse, per quos S. Ignatius miro magisterio ducit eum, qui se exercet, ad perfectam eam dispositionem animi, quam debet habere ad faciendas bonas, & sanas electiones in omnibus rebus, & actionibus, quæ subsunt suæ libertati; prout explicabitur in Exercicio sequente.

* * *



Proposui in conspectu tuo vitam, & mortem. *Deut.* 30.

DE BONA, ET SANA Electione.

ILlud est inter hominem, & bestiam discrimen, quòd bestia regitur passione, seu appetitu naturali: homo verò titulo rationalis ratione dumtaxat regi debet in omnibus rebus, & actionibus, quæ subsunt suæ libertati. Et quoniam in Christiano, in quo Fides supponitur, ratio dictat, vt positâ totâ suâ attentione, & intentione in fine, ad quem creatus est, id solum amplectatur, quo magis est iuuandus ad illum consequendum, & consequenter, vt nihil amplectatur, quod malum moraliter sit, quia hoc potiùs impedit, quàm iuuat; & ex bonis semper amplectatur melius, quod iuuat magis, Consequens est, vt in omni probo Christiano propositum efficax stabilitum iam firmiter esse debeat fugiendi semper, quod est malum, & ex bonis amplectendi semper, quod est melius. Quod propositum fructus est, qui ex præcedentibus Exercitijs collectus esse debet.

Vnde sequitur, id, quod apertè est malum, & ex bonis id, quod apertè est melius, non esse materiam electionis, nec deliberationis. Quia iam supponitur, iuxta rectam rationem, primum fugiendum, & secundum amplectendum esse citra omne dubium.

Cæterùm, quia inter extrema de suo bona,

quæ

quę occurrere poſſunt, ad alterutrum aſſumendum, vel relinquendum, ſiue ratione ſubſtantiæ, ſiue accidentium, ſiue circumſtantiarum loci, temporis, perſonæ, &c. dubitare poteſt homo, quodnam eorum ſibi ſit melius, & aptius ad conſequendum ſuum finem, maioris ſcilicet obſequij Dei, perfectionis, & ſaluationis: in ijs euentibus habet locum deliberatio, & electio: pro ijſdemque habet vſum Exercitium de bonâ, & ſanâ Electione. Quòd nobis reliquit ſcriptum S.Ignatius.

Primum, & præcipuum, quod cadit ſub electionem, eſt ſtatus vitæ perpetuus in eo, qui nondum aſſumpſit illum; à cuius bonâ, & ſanâ electione, conformique voluntati Dei vita proba, & bene ordinata ſæpe dependet; &, quod plus eſt, ſalus æterna, Nam in eo ſtatu; in quo Deus vult, vt ipſi ſeruiam, potiùs,quàm in alio, habet mihi præparata auxilia efficacia gratiæ, cum quibus ipſi ſum ſeruiturus. Et licet omnes ſtatus in Eccleſiâ approbati, vt Matrimonialis,Eccleſiaſticus,Religioſus, ſint boni in ſe, non tamen omnes mihi ſunt boni: ſicut cibi, eſtò omnes ſint boni in ſe, non omnes omnibus ſtomachis congruunt; nam qui pro alijs ſunt ſani, pro alijs ſunt noxij; & qui pro alijs ſunt minus boni, pro alijs ſunt meliores. Vnde patet, quanti momenti ſit circa ſtatum vitæ conſiderata, matura,& rectè deliberata electio. Ob cuius defectum proculdubio multi poſt

vi-

vitam inquietam, ingratam, ac moleſtam, perdiderunt vltimum finem, ad quem fuerant creati.

Secundum, quod cadit ſub electionem, eſt reformatio ſtatus in eo, qui iam illum habet, quoad particularia, quæ ad ipſum pertinent. Vt ſi expedit tot, ac tales ſeruos habere, vel plures, vel pauciores: tot ac tales expenſas facere: tot ac tales darę eleemoſynas. Pariterque de cæteris.

Tertium, quod cadit ſub electionem, eſt quæuis res alia occurrens de ſuo bona; ſed circa quam eſt dubium, an ſit mihi magis expediens illam aſſumere, quàm relinquere, vel è conùerſo. Vt ſunt officia, beneficia, occupationes, actiones alicuius momenti, modus ordinarius viuendi, diſtributio temporis, &c.

Diſpoſitio requiſita ad bonam electionem in eo, qui illam talem vult facere, imprimis eſt, vt, poſità totà ſuà attentione, & intentione in fine, ad quem eſt creatus, indifferens totaliter ſit ad aſſumendum, vel relinquendum id, de quo agitur, prout viderit magis conducere ad ipſum finem abſque vllo alio reſpectu. In qua indifferentià debet ſe ſe conſtituiſſe per Exercitium antecedens. Deinde debet aggredi electionem, non quando habet animum inquietum, turbatum, aut obſcuratum paſſione aliqua, vel tentatione; ſed quando eum quietum, tranquillum, ac ſerenum habet.

FOR-

FORMA HVIVS EXERCITII.

ORatio præparatòria erit consueta. Compositio loci. Ponere ante oculos animæ id, circa quod electio facienda est, referreque duo extrema opposita (assumendi, scilicet illud, aut relinquendi; habendi, aut non habendi) ad finem, ad quem sum creatus, qui est Deo seruire, omnimodisque obsequi in hac vitâ; & eodem frui per æternitatem in alterâ. Petitio autem. Postulare à Maiestate suà lumen, & gratiam ad eligendum ex propositis extremis illud, quod mihi vtilius futurum est ad talem finem obtinendum.

Primum punctum erit. Considerare in particulari, quot, & qualia iuuamina, vel contra, quot, & qualia impedimenta vnumquodque ex dictis extremis (habendi, aut non habendi rem, de qua agitur) adferat mihi præcisè ad obtinendum finem, ad quem sum cruatus, secluso omni alio respectu. Ijs enim attentè examinatis, & ponderatis, extremum, in quod ratio pura. & libera ab omni passione, & affectu sensuali magis inclinat, illud mihi eligendum est.

Secundum punctum erit. Supponere, quòd homo aliquis habens præ manibus eamdem materiam, quam ego habeo, ad eligendum, consilium à me postularet. Id enim, quod ego, omnibus bene perpensis, illi consulerem,

rem, iudicans fore ad maiorem perfectionem animæ eius, & gloriam Dei, idem ipsum eligendum, & assumendum mihi est.

Tertium punctum erit. Considerare me in articulo mortis, attentèque animaduertere, quodnam ex extremis propositis vellem tunc, me elegisse nunc: id enim est, quod nunc eligere, mihi conueniens est.

Quartum punctum erit. Considerare me similiter in hora iudicij ante tribunal Christi iam iam redditurus rationem de omnibus meis electionibus in hac vita factis. Quam enim, tunc vellem, fecisse me nunc in materià præsente, eadem facienda mihi est.

Quintum punctum, Facta electione per præcedentia puncta, conuertens me ad D.N. ipsi eam offeram, petendo à Maiestate sua, vt eam acceptet, recipiat, & confirmet. Si enim cum hac oblatione sincerè, & ex corde facta anima mea se sentit quietam, sine scrupulo, & consolatam, argumento erit, quòd electio benè, purè, & sine mixtura alicuius affectionis inordinatæ facta est. Pater noster.

Hoc exercitio claudit S.Ignatius Exercitia secundæ Hebdomadæ.

Hic verò Agens Exercitia monendus est primò. Ne impulsus feruore aliquo spiritus vllo se obstringat voto quidpiam præstandi, nisi postulato antea, & præhabito consilio à Patre spirituali, vel Confessario.

Secundò est monendus. Quòd, quando, facto discursu per puncta prædicta circa extrema, quæ sunt materia electionis, repererit, æque illa conducere ad maiorem gloriam Dei, & animæ suæ bonum, tunc est occasio reducendi ad praxim vltimum perfectionis gradum, de quo fuit sermo in puncto quarto Exercitij præcedentis: eligendo videlicet illud extremum, quod sensualitati fuerit magis oppositum, & pœnale ad meliùs imitandum Christum D.


Tertiò est monendus. Ad fortificandum propositum electionis factæ, & vincendas nouas difficultates, quæ secum solet afferre rei electæ executio, magnopere iuuare considerationem victoriarum Christi D. in suà sacrà Passione. Propter quod S. Ignatius, conclusà cum hoc Exercitio secundà Hebdomada, tertiam totam impendit in sacrà Passione, singulisque eius partibus meditandis.

Quartò est monendus. Vt semel facta electione iuxta præscriptas regulas, nullatenus illam immutet, præsertim in tempore desolationis, hoc est, cùm se interiùs sentit turbatus, aut inquietus aliqua tentatione, aut passione, quæ internam oscuritatem affert; aliquà ve ad res terrenas inclinatione, seu affectione. Quia tunc non est tempus idoneum ad alterandam electionem rectè factam. Cæterùm, si, transacta turbatione, recuperataque interna tranquillitate animæ, nouæ circumstantiæ tales occurrerint,

vt videatur neceſſarium iterum circa rem electam deliberare, tunc denuò noua electio poterit fieri iuxta præſcriptas regulas.

Tandem eſt aduertendum. Cùm res electa eiuſmodi eſt, vt ad ſuam exequutionem exigat tempus ſucceſſiuum; opportunum tunc fore vſum Examinis particularis, vt meliùs, & citiùs id, quod intenditur, executioni mandetur, & obtineatur.





Pass.ᵉ ē, uobis reliq̄ns exēplū, ut sequam: uestigia ei

EXERCITIVM VII.
De Paſſione Chriſti D.N.

NIhil eſt, quod magis animat ſtrenuum militem in prælio, quàm videre victorias, quas ſuus Dux reportat in illo. Qnare, reducendo ad hoc Exercitium omnia, quæ in tertia Hebdomada poſuit S. Ignatius, monſtrabimus Exercenti ſe (parato iam per Exercitia facta in ſecunda Hebdomada ad ſequendum Chriſtum in hac expugnatione Regni Cœleſtis) illuſtres victorias, quas tempore ſuæ ſacræ Paſſionis hic noſter Rex, & Dux reportauit de tribus illis inimicis, contra quos hoc bellum venit gerendum. Vincens nimirum noſtrum appetitum applauſus, æſtimationis, & honoris ſumma ſua derelictione, inhonoratione, & ignominia: & noſtrum appetitum delectationum, & voluptatum ſuis ſummis doloribus.

Oratio præparatoria erit ſolita. Compoſitio loci. Aſpicere Chriſtum D. N. confixum Cruci. Petitio. Poſtulare ab ipſo gratiam congruam ad imitandas ſuas victorias in hac ſpirituali paleſtra.

Primum punctum erit. Conſiderare paupertatem, quam Chriſtus D. N. paſſus eſt tempore ſuæ ſacræ paſſionis. Quæ tam extrema fuit, vt cuncta generaliter ipſi defuerint. Quandoquidem nec habuit lectum, in quo morere-

tur; nec vas aquæ, qua ſitis eius mitigaretur; nec aliud quidpiam ad ſe in agonia mortis refrigerandum præter cum felle mixtum acetum. Et cùm perfecta paupertas teſtante Paulo, ſit, habere dumtaxat alimenta, & quibus tegantur: ille, qui, cùm eſſet Dominus omnium, pauper pro nobis factus eſt, vlteriùs eam perfecit, non habens neque, quo tegeretur, neque quo vel ſitim ſedaret. Cùm item ita ſit, vt qui moritur, ius habet ad aliquod ſepulchrum, cadauerisque operimentum; & ad diſponendum pro arbitrio ſuo de rebus, quas habet: vel his etiam caruit Dominus N. Siquidem ſepultus eſt in ſepulchro alieno, opertuſque ſindone per modum eleemoſynæ data; nec de veſtibus, quibus vtebatur, & quas ſolas habebat, diſponere potuit pro arbitrio ſuo; ſed eis ſpoliatus vidit ipſas inter milites pro eorum beneplacito diuidi. O in omnibus, & omnium Ditiſſime! Quam extrema cum paupertate viciſti noſtram diuitiarum cupidinem.

In ſecundo puncto eſt ponderandum, Quomodo Chriſtus D. tempore ſuæ paſſionis adeò fuit ab omnibus etiam amicis, cognatis, & notis derelictus, vt potuerit dicere per Prophetam. Conſiderabam ad dexteram, & videbam, & non erat, qui cognoſceret me. Tantoque caſus iſte fuit ſenſibilior; quantò è loco fuit ſublimiori. Cùm enim eouſque communiter fuiſſet æſtimatus vt Sanctus; Veneratus vt magnus

gnus Propheta; auditus vt Prædicator, & Magister insignis; trahens vbique post se Populum sequentem ipsum in Ciuitate, in Templo, in Synagogis, in Castellis, in terra, & in mari; magnificatus ob tot sua, tamque illustria miracula; dilectus ob beneficia, quæ passim largiebatur. Totum hoc subitò commutatum est in contemptum, ignominiam, infamiam, & odium.

Nam sui Nationales procurauerunt illi mortem cum summa iniustitia. Gentiles Romani cum crudelitate summa exequuti sunt. Sacerdotes, & Litterati erant velut fermentum, quo tota Populi massa exacerbata contra Saluatorem euasit. Principes sufflabant ignem, & in Popularibus talis flamma excitata est, qualis tanto iniuriarum, dolorumque diluuio extingui non potuit. Vel in suis, qui scholam eius fuerant sequuti, fidelitatem firmam non reperiuit. Nam ex duodecim, quos Apostolos elegerat, alius vendidit, alius negauit, & omnes dereliquerunt eum. Sola ipsius Mater non dereliquit; sed neque iuuare potuit, neque defendere; potiùs augebat eius dolores præsentià suà. Pater autem æternus, qui potuit; noluit pro tunc. Quod eius inimici exprobrabant. Quodque ipsum coegit ad exclamandum. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Sic vicit Christus nostrum appetitum inordinatũ applausus, & æstimationis humanæ.

Tertium punctum. Inhonoratio, & ignominia Saluatoris in sua passione fuit summa. Creuit enim ex parte suæ Personæ, quæ erat veri Dei; & in quantùm homo eò magis sentiebat suas iniurias, quò generosioris cordis erat. Creuit ex parte altitudinis æstimationis, ad quam ascenderat, cadens ex illa in profundiorem extremitatem despectus, ac contemptus. Nam Populus, qui tanti eum faciebat, tamque auidè sequebatur, videns ipsum à Principibus, & Magistratibus adeò contumeliosè captum, mox (vti solet accidere) sese deceptum in eo honorando reputauit. Omnesque veluti infamati, quòd tantum honorem homini fraudolento detulerant, nouis iniuriarum inuentis errorem emendare curabant.

Creuit ex parte personarum, quæ inhonorarunt eum. Nam Litterati, & Seniores, Pontifices, & Sacerdotes, Magistratus, & Iudices; in quibus ob suam eminentem authoritatem in litteris, & religione minus præsumi poterat aut ignorantia, aut iniustitia. Hi fuerunt, qui post multam considerationem, atque consultationem causaque in Concilio examinatà, pronuntiarunt illum reum mortis. Quam totus Populus petiuit à Præside, & extorsit cum violentia populari. Militesque Gentiles, gens sine Deo, abiecta, & vilis, fuerunt carnifices, qui executioni mandarunt, inijcientes in Regem Gloriæ manus, & linguas absque vllo respectu,

& pudore. Ad quod accedit, fuiffe eum ab vno ſuorum diſcipulorum venditum, ab alio negatum, & à cæteris derelictum. Quorum vnumquodque ſuo modo ipſius ignominiam fecit graviorem.

Creuit & hæc ex parte delictorum, de quibus accuſatus eſt, quæ multa fuerunt, & grauiſſima. Nimirum. Quòd erat blaſphemus in Deum, cuius ſe Filium, atque adeò æqualem iactabat. Quòd erat proditor in Reges, quorum titulum, & dignitatem ſibi vſurpabat; vetabatque, ne ſoluerentur illis tributa. Quòd erat impoſtor, ac perturbator Populi, trahens poſt ſe illum inquietum, congregaus ſcholam, & ſpargens doctrinam nouam, & pernicioſam, diſcurrendo de loco in locum abſque vllo fixo domicilio. Quòd erat magus, & incantator, qui falſis miraculis arte Dæmonis factis Populum ipſum tenebat deceptum, & illuſum. Crimina cuncta enormia, & odioſa, & quæ alia ſupponebant.

Creuit denique inhonoratio Chriſti ex parte rerum, quas præſtiterunt in ipſum, refertas omnes dolore ſimul, & ignominià. Primùm enim prendiderunt eum noctu,& in agro, & armati militis cum tumultu. Traxerunt per Ciuitatem ligatum cum dedecore. Sicque ſtiterunt Concilio. Vbi eius cauſa examinata eſt cum violentia. Et ſeruus Pontificis coram ipſo impudenter ei iniuriam linguà; & manu alapam

pam impegit. Qui custodierunt illa nocte totam in eo vexando, atque inhonorando expenderunt. Nam velabant faciem eius, & conspuebant, & colaphis percutiebant; & dicebant prophetiza, quis est, qui te percussit, multisque alijs modis ei illudebant. Mane autem facto ad mortem damnatum à Tribunali in Tribunal ignominiosè traduxerunt. Apud Herodem veste indutus ludibrio habitus est tanquam fatuus. Et apud Pilatum veste nudatus dirè flagellatus est tanquam fur. Cohors Gentilium coronatum spinis, vt regem fictitium adorauit. Et Populus Iudæorum, vt Regem verum non admissum abominatus est. Factaque illius cum Baràba comparatione, sediciosum homicidam vità donauit: & pacis, ac vitæ Auctorem magnis clamoribus postulauit ad mortem. Damnauit demum Pilatus ad crucifigendum: genusque mortis tunc valde infame baiulatu publico crucis, & comitatu latronum longè infamius effectum est. Denique nudus, & cruci confixus in loco Caluariæ exaltatus est coram innumera hominum multitudine, qui ad Paschæ celebritatem concurrerant. Et, quasi omnia hæc non sufficerent, ibi eum iam moribundum multiformiter blasphemabant: eique delicta non facta ab ipso, sed à se conficta exprobrabant. O honorator, & honor hominum! Quis te sic propter eos inhonorauit? O cæcitas Christianorum! Qui sese iactantes de Fide sua, toti sunt

in

in æstimandis, atque procurandis honoribus.

Quartum punctum erit de doloribus, quos Christus Rex noster in sua Passione passus est. Totque fuerunt, ac tanti, vt bene potuerit Propheta dicere. Quod à planta pedis vsque ad verticem non erat in eo sanitas. Et quod plagatus totus, quasi leprosus speciem, decorem, & aspectum, quo cognosceretur, amiserat. Erant scapulæ, & reliquę corporis partes flagellis laceræ. Humeri contusi pondere Crucis. Pectoris ossa loco seiuncta præ nimia distensione. Caput spinis perforatum. Capilli capitis, & barbæ auulsi. Genœ colaphis denigratæ. Os sitibundum, & lingua à contactu fellis amara. Exangues venæ: Brachia, & crura adeò distenta, vt corporis ossa possent dinumerari. Manus, & pedes terebrata clauibus, è quibus pendens integrum corpus per suamet vulnera, continuò magis, & magis illa aperiebat pondere suo. Cor summa afflictione transfixus. Ac demum totus homo ita doloribus, & afflictionibus affectus, vt absque vllo mortali vulnere efflauerit animam. O Deus impassibilis! Quàm longè ab imitatione tua currit, qui post suas delectationes, atque delitias currit.

Hoc modo ad expugnandum nobis Regnum Cęlorum Rex noster militauit contra eos tres inimicos, qui nobis inferunt bellum, ne intremus in illud: tres scilicet nostros inordinatos appetitus diuitiarum, honorum, & delitia-

tiarum. Et hoc modo ad eius imitationem nos quoque contra eos militare debemus, ſi volumus ſtrenuorum militum leges implere, & ex victoriæ fructibus noſtram partem habere.

Ne tamen nos debilitas noſtra retardet ad aggrediendum imitationem eius, quem ſcimus, eſſe Fortitudinem Dei. Ponamus oculos mentis in tot hominibus Sanctis tum Confeſſoribus, tum Martyribus, quot fuerunt in Eccleſia, debilibus ſicuti nos. Et nihilominus in hac ſpirituali militia ſtrenuiſſimis imitatoribus ſui Regis, cum adiutorio gratiæ eius. Conſideremus eorum ægregia facinora, Et, ſiquidem illi nec fuerunt alterius naturæ à noſtra, nec habuerunt alterum Deum à noſtro (qui ſemper eſt idem) in ſua gratia conferenda liberaliorem: properemus, reſumpto ſpiritu in ipſorum imitationem; vt ſicut illi triumpharunt,& nos triumphemus.

Itaque, & nos inquit Apoſtolus tantam habentes impoſitam nubem teſtium, qui nos intuentur, & ſuis exemplis animant, ad præliandum, deponentes omne pondus, & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen: aſpicientes in Auctorem Fidei, & conſummatorem Ieſum: qui, propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſſione contempta: atque in dextera ſedis Dei ſedet. Vt nobis omnibus perſuaderet exemplo ſuo, præterquam Fide verbi ſui. Quòd ſi media morti-

tiſicatione cum ipſo commortui ſumus, & conuiuemus. Et, ſi media lucta incommoda huius certaminis cum ipſo ſuſtinebimus, & conregnabimus, (vt conteſtatur ipſe Apoſtolus.) Et non aliter. Finem imponat Colloquium, quo ab eodem noſtro ſummo Rege petamus perfectam ipſius imitationem. Pater noſter.

Hoc Exercitium virtute continet omnia quæ S. Ignatius poſuit in tertia Hebdomada.



EXER-



QVIS NOS SEPARABIT. *Rom. viii.*

EXERCITIVM VIII.
De Amore Dei.

HOc est vltimum Exercitium quartæ Hebdomadæ S. Ignatij. Ad quod per illius residuum disponit Sanctus Meditationibus Mysteriornm Resurrectionis Christi D. Fructus autem per illud intentus, qui est Amor Dei perfectus, finis est omnium Exercitiorum, & totius vitæ spiritualis.

Ante, quàm illud ingrediatur, supponit Sanctus duo principia certa. Primum est. Amorem non in verbis, sed in operibus consistere. Iuxta illud S. Ioannis in sua prima Epistola, Filioli mei non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate. Quò etiam spectat illud Christi D. in suo Euangelio. si diligitis me, mandata mea seruate. Et rursus illud. Qui habet mandata mea, & seruat ea ille est, qui diligit me.

Secundum principium est. Opera in quibus consistit amor, esse communicationis bonorum, quæ amans amato communicat ex ijs, quæ habet. Vt si habet scientiam, honores, diuitias, aut alia bona, illa suo amato communicat in quantùm potest. Itaque amor verus præcipuè consistit in communicatione, qua amans amato sua bona communicat.

Possunt etiam supponi tanquam principia

pia ad vim præbendam diſcurſibus huius Exercitij illud Prouerbiorum 22. Qui dat munera, animam aufert accipientium: & prouerbia illa vulgaria. Munera confringunt ſaxa. Amor amoris magnes eſt. Amor nullo alio pretio ſoluitur, quàm amore.

His poſitis. Oratio præparatoria erit ſolita. Compoſitio loci. Conſiderare me coram Deo erga me benigno, ac beneuolo: & coram omnibus Beatis pro me interpellantibus. Petitio. Poſtulare à Deo claram cognitionem tum magnitudinis beneficiorum mihi factorum, tum infinitæ bonitatis benefactoris, vt propter illa, & propter ipſum tantum eum amem, quantum à me amabilis eſt.

In primo puncto ad memoriam traham beneficia mihi facta à Deo. Nimirum beneficium Creationis. Ad quod pertinet totum *eſſe* animæ, & corporis cum omnibus ſuis partibus. & membris, potentijs, & ſenſibus. Beneficium Conſeruationis. Ad quod pertinet influxus continuatus Omnipotentiæ diuinæ, & cætera cuncta bona naturæ intrinſeca, & extrinſeca ad meam conſeruationem ordinata, & quoquomodo concurrentia. Beneficium Redemptionis. Ad quod pertinent Aduentus Filij Dei in Mundum, & omnia, quæ pro hominibus fecit, & paſſus eſt in carne mortali. Sacramenta, quæ inſtituit. Auxilia gratiæ, quæ nobis comparauit. Et cætera dona ſupernaturalia

ralia communia, quæ nobis ſunt data. Beneficia denique omnia particularia, quæ mihi particulatim contulit Deus: quæ, ſi benè conſidero, innumerabilia eſſe reperiam, vnà cum aliorum malis, à quibus me liberauit: quo titulo mea etiam ſunt beneficia. Accedit deſiderium infinitum, quod Deus habet, dandi ſe ipſum mihi in Gloria cum alijs ineffabilibus bonis per integram æternitatem.

Ponderabo excellentiam Datoris: multitudinem, ac magnitudinem beneficiorum: intenſionem infinitam amoris, à quo illa manarunt: idque quàm liberaliter, & ſine vllo intereſſe proprio! quàm gratuitò, & ſine vllo merito meo! mouente ſola Dei bonitate, communicatiua ſui infinitè. Vtenſque principijs ſuppoſitis, concludam. Si amor conſiſtit in operibus, & in communicatione bonorum amantis erga amatum. Quantus eſt amor, quo Deus me amat: ſi quidem tanta pro me operatus eſt, & operatur, & deſiderat operari: tantaque mihi communicauit, & commicat, & deſiderat communicare? Et, ſi amoris prætium eſt amor. Quo amore debeo illi correſpondere, ipſi communicando, & tradendo totum, quod ſum, quod habeo, & quod poſſum: maximè, cùm nihil ei dare poſſim, quod iam ſuum non ſit? Et, ſi munera rapiunt corda, ſaxaque confringunt. O rebelle cor meum! quomodò te rapi non ſinis tot Dei muneribus?

 O du-

O durius adamante! Quomodò tot donorum ictus non ſentis? Quomodò tanto amoris igne duritiès tua non molleſcit?

Hìc ob malam meam correſpondentiam pudore correptus eam ſatagam emendare. Conuerſuſque ad Deum prompto, ac feruente affectu me totum,& omnia mea offeram ipſi, dicens. Accipe Domine totam meam libertatem, memoriam, intellectum, & vniuerſè quidquid ſum, & quidquid poſſum. Omnia à te mihi traditá ſunt: omnia tibi reddo, vt de omnibus omnino diſponas iuxta tuam ſanctiſſimam Voluntatem. Da mihi tui amorem, & gratiam; quia hoc mihi ſufficit.

Secundum punctum erit: Conſiderare, quomodò Deus habitat in omnibus creaturis. In elementſs dando eis viuere in arboribus dando eis viuere: in animalibus, dando eis ſentire: & in hominibus, dando eis præterea intelligere: atque ita in me, dando mihi eſſe, viuere, ſentire, & intelligere. Et inſuper, vt in templo ſuo ad ſuam ſimilitudinem facto; ornatoque ſupernaturalibus donis. Quibus creditur, amatur, veneratur, & colitur. Ponderabo, diſcurram, & concludam, ſicuti in puncto præcedente.

Addendo conſiderationem de modo, quo Deus dedit, & dat mihi ſua dona, non mittendo illa ad me per tertiam perſonam, (vti faceret Rex terrenus reſpectu cuiuſuis ſui ſubditi,

quan-

quantumuis dilecti) ſed veluti adferendo illa in domum meam per ſe ipſum : qualiter ſe etiam gerit cum bonis, quæ confert ad ſeruitium meum cæteris creaturis. Quæ eſt admirabilis dignatio. Vnde inferam, me quoque pariter debere ipſi correſpondere: reddendo, ac impendendo in obſequio ſuo cum magno amoris affectu totum, quod ſum, poſſum, & habeo, non vtcumque, ſed coram ipſo cum iugi memoria ſuæ præſentiæ; atque ita ſeruiendo ipſi in præſentia ſua. Qui eſt altior gradus amoris Dei, & æſtimabilior, & promptior ad eius voluntatem implendam. Quemadmodum altius eſt, & æſtimabilius ſeruitium, quod Regi terreno præſtatur in eius præſentia, aptiuſque ad cognoſcendam, & implendam voluntatem eius, quam, quod præſtatur in abſentia.

Tertium punctum erit. Conſiderare, quomodò Deus laborat (hoc eſt ſe gerit, ac ſi laboraret) in omnibus creaturis. In Cœlis, elementis, arboribus, animalibus, fructibus, &c & in me ipſo. Scilicet conſeruando cuncta, & immediatè concurrendo cum ſingulis ad omnes eorum motus, & actiones viuendi, ſentiendi, intelligendi, & cæteras. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus, vt dicit Apoſtolus. Diſcurram; & me offeram, vt ſupra.

Ponderando inſuper hic ineffabilem dignationem Dei. Qui non ſolum conſeruat me, & adiuuat me per ſe immediatè ad omnes

meas operationes, sed etiam ad seruitium meum conseruat cæteras creaturas; &, quod plus est, & mirabilius, illas per se immediatè adiuuat ad mihi seruiendum. Quid diceremus de amore Regis erga suam sponsam, qui eum obligaret, non solùm ad procurandum, & sustentandum pro illius seruitio omne seruorum genus, sed etiam ad cooperandum per se cum eorum singulis in omnibus pertinentibus ad seruitium ipsius Reginæ? O amor Dei erga me, qui ad tanto maiora, & plura obligat ipsum! Curabo ei correspondens ascendere ad tertium gradum Charitatis, qui cum præsentia, & amore Dei iungit exactam executionem omnium, quæ ei placent: quin labor externus impediat talem præsentiam, & amorem, internamque quietem, & pacem, quam secum ferunt. Quod obtinetur, reducendo cuncta ad solum vnum: quod est Deo placere.

Quartum punctum erit Considerare, quomodò omnia bona creata descendunt ab increatis. Vt mea potentia limitata à summa, & infinita potentia Dei; & idem est de sapientia, bonitate, iustitia, misericordia, &c. sicuti à Sole descendunt luminis radij, à Fonte riui aquarum, &c. Vnde aperitur nobis via ad ascendendum per perfectiones creatas ad Diuinas, vbi illæ sunt cum præstantià infinità. Proindeque latè discurram considerando, Magnitudinem Essentiæ Dei, eius Indepeduentiam,

tiam; Æternitatem & cætera Attributa, Bonitatem, Pulchritudinem, Sapientiam; Omnipotentiam, Immensitatem, Misericordiam, Iustitiam, Liberalitatem, &c. Ponderando in vnoquoque seorsim eius conditiones, & proprietates. Vnde transibo ad quartum, & perfectissimum gradum amoris Dei. Quo amatur propter se ipsum, vt summum Bonum claudens in se omnia bona. Ita quòd, qui sic amat, nihil iam inuenit, quod amet, nisi Deum; propter quem solum, & vnicè amat, quidquid aliud amat, Terminum imponam Colloquio, quo ardente cordis affectu petam à Deo, vt præbeat mihi lucem claram ad cognoscendam suam infinitam Bonitatem, & gratiam efficacem ad eam semper, & vnicè perfectissimè amandam, adimplendo semper in omnibus, & perfectissimè suam sanctissimam, ac perfectissimam voluntatem. Pater noster.

ADMONITIO.

Via ad Salutem æternam, & ad Perfectionem Christianam, quam S. Ignatius nos docet in his Exercitijs, eadem est, quam Christus Dominus nos docuit suis verbis, & exemplis. Atque ita vnica est via vera, & secura. Etenim in prima Hebdomada docet nos Sanctus exire per pænitentiam à peccatis, cum efficaci proposito nnnquam ad illa redeundi.

Cum quibus, quando grauia ſunt, Salus æterna componi nequit. In ſecunda autem, & tertia Hebdomada docet nos, quomodo ſequentes Chriſtum ad perfectionem Chriſtianam debemus tendere, pugnando contra appetitus noſtros Diuitiarum, Honorum, & Voluptatum, quæ ſunt obſtacula impedientia, ne conſequamur illam. Nam, vt ait S. Auguſtinus, eiuſmodi appetitus ſunt Venena Charitatis; (in cuius perfectione conſiſtit Chriſtiana perfectio). Et quo paſſu illi minuuntur, Charitas creſcit. Eiſque victis, & ſuperatis, mox anima obtinet, ac poſſidet perfectam Charitatem. Ad quam conſequenter nos ducit S. Ignatius in quarta Hebdomada tanquam ad rem, quæ connaturaliter ſequitur ex illa victoria. Quoniam noſtra Anima, ſemel auulſa à Terra, connaturaliter volat in Cœlum ad ſe Deo per amorem vniendam tanquam centro ſuo. Sed quoniam pugna contra tres dictos Apetitus per eorum abnegationem facienda ſine iuuamine Orationis non poteſt fieri: pariter nos docet S. Ignatius, hanc eſſe debere illam communem, & ordinariam, & omnibus facilem, quam principiò explicauimus; quæ & ſecura in ſe, & in noſtra libertate poſita eſt. Nam altera oratio contemplatiua, & extraordinaria, ad quam Deus aliquos Sanctos eleuat medijs extraordinarijs illuſtrationibus, viſionibus, & reuelationibus, nec eſt adeò ſecura, cùm ſoleat à Dæmone confingi,

gi, nec est in potestate nostra, aut eam industriâ nostrâ possumus comparare. Quocirca S. Ignatius, etsi fuerit vnus è Sanctis, qui in altiori gradu eam habuerunt communicatam à Deo, ne verbum quidem de ea loquitur in his Exercitijs. Per regulas tamen ab ipso traditas discerni poterit in Anima, qui eam habuerit, an sit donum à bono Spiritu prouenięns, an fraus intrusa à malo.

Hoc supposito. Ego iterum Fidelibus omnibus consulo ' vt, si piè viuere, & suam æternam salutem obtinere, aut etiam ad Perfectionem Christianam tendere cupiunt, his Exercitijs faciendis quotannis se dedant, siue vtendo viuo Instructore, siue loco illius hoc libello. Quo casu, si cui occurrerit dubium aliquod, aliquem circa illud Confessarium pium, & doctum consulere poterit. Statuatque certò quicumque hæc Exercitia fecerit, quòd nunquam se pœnitebit illa fecisse.


LAVS DEO.



ORA-

ORATIO AD CHRISTVM DOMINVM.

ANima Christi ſanctifica me. Corpus Christi ſalua me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi laua me. Paſſio Christi conforta me. O bone Ieſu exaudi me. Iutra tua vulnera abſconde me. Ne permittas me ſeparari à te. Ab hoſte maligno defende me. In hora mortis meæ voca me. Et iube, me venire ad te, vt cum Sanctis tuis laudem te in ſæcula ſæculorum. Amen.



Reimprimatur ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

Sperellus Epiſc. Interamnen. Viceſg.

Reimprimatur.

Fr. Ioſeph Maria Berti Reuerendiſs. Patris Fr. Thomæ Mariæ Ferrarij Sacr. Apoſt. Pal. Mag. Socius Ord. Præd.

[illegible]

[illegible]

Anima Christi sanctifica me. Corpus Christi salva me. Sanguis Christi inebria me. Aqua lateris Christi lava me. Passio Christi conforta me. O bone Jesu exaudi me. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari a te. Ab hoste maligno defende me. In hora mortis meæ voca me. Et jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.

Reimprimatur [illegible] Sac. Pal. Apost.

[illegible]

Reimprimatur.

[illegible] Joseph Maria [illegible]
Fr. Thomas Maria [illegible] Sacr. Apost. Pal. Mag. Socius Ord. Præd.